OBSERVATIONES
MEDICO-PRACTICÆ.

M. LUDOVICI-JOANNIS

LE THIEULLIER,

IN UNIVERSITATE PARISIENSI Facultatis Saluberrimæ Doctoris-Regentis, Regis Conſiliarii, in majori Conſilio, in magnâ Regiæ domûs & Franciæ Præfecturâ Medici ordinarii, &c.

OBSERVATIONES MEDICO-PRACTICÆ.

Editio altera, ab Auctore recognita, aucta & emendata.



PARISIIS,

Apud { Huart, ſub ſigno Juſtitiæ. Clousier, ſub Scuto Gallico. Durand, ſub ſigno Sti Landerici. } viâ Jacobeâ.

M. DCC. LXVI.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

MONITUM LECTORI.

MULTIPLICI Jamdudùm de causâ secundam hancce medico-practicarum observationum editionem evulgare cupiebam; ut scilicèt. 1°. Quòd anno 1732. à juniore Medico fuerat omissum, ab eodem exemplis numerosioribus instructo fieret elucidatum; 2°. Quæ nudiora crudioravè prodierant, cautelis tandem, & interpretationibus ditata, omnem ab Auctoris famâ suspicionem propulsarent. Propositum verò finem diuturnus labor, isquè varius remoratus est, donec quarumdam observationum sensus à mente meâ prorsus alienos, à nonnullis inductos audiverim. Singulas itaque sectiones denuò perlustrare, desiderata subjungere,

Matris ſaluberrimæ ſub auſpiciis accuratè tentavi; ut hujus benevolentiam adaucto labore colligerem, & Artis noſtræ tironibus tutiore viâ prodeſſem.



INDEX
SECTIONUM
Quæ in hoc Libro continentur.



OBSERVATIONES



OBSERVATIONES MEDICO-PRACTICÆ.

SECTIO PRIMA.

DE ABORTU.

OBSERVATIO PRIMA.



IE 28. Martii, anni 1725. accersivit me Domina *** annos nata 32. sanguinis profluvium (gallicè *Perte de sang*) multis abhinc diebus patiebatur, ventris torminibus atrocissimis stipatum. Mensis hic erat tertius, quo menstrua desiderabantur, ac de graviditate (*grossesse*) dubitabat ægra. Tussis frequens urgebat; copiosissimus sanguinis effluxus; oculorum caligo; capitis dolor fermè continuus; summa virium jactura; pulsus exilis, profundus; alvus adstricta. Temperamentum autem sanguineo-biliosum;

mens morosa & in iram præceps; corpus gracile. Sæpius olim fecerat abortum, nisique tunc opportunam attulissem medelam, de ejus vitâ fuisset actum; hanc porrò, præ cæteris remediis, venæ sectiones sanaverant; unaque plenitudo à sanguine orta, tot abortus procreaverat; quibus tamen tanquam occasionalem causam addere licet mulieris illius ad iram pronitatem. Ptisanam sequentem parandam præscripsi.

♃. Radic. graminis & Consolid. major, ana ℥. j.
Orizæ, rasur. Cornu cervi & Ebor. ana ʒ. ij.
Bull. in aq. ℔. v. ad 5. partis consumptionem f. colat. quâ utatur ægra pro potu.

Juscula parata sunt ex vitulinâ carne, & gallinaceo pullo. Interim ex intervallo sumpsit ægra juris è carnibus exilis gelati cochlear. Nocte proximâ passa est abortum, statimque paululùm remisit cruentus fluor.

Die 29. eandem methodum tenuimus; clysteres manè & serò immissi sunt ex foliorum verbasci (*Bouillon blanc*) & seminis lini decocto.

Die 30. tam largam cruoris copiam per uterum egessit ægra, ut ad adstringentia confugerim.

♃. Aquar. Plantag. & Centinod. ana ℥. iij.

Coral. rub. lapid. hæmatit. terræ Sigill. Bol. Armen. & Trochiſcor. de Karabe, ana ℈. j.
Confect. Alkerm. ʒ. j.
Syr. Myrtei, ℥. j. ß. f. p. Cochleatim alternis horis exhib.

Cremore oriſæ in Juſculis diluto uſa eſt. Sic viribus exhauſtis & fluenti ſanguini conſultum eſt. Amica quies acceſſit; temperatus eſt fluxus.

Die 31. injectum fuit Enema prioribus ſimile, potionis reliquias abſolvit ægrotans; proſperrimè geſta ſunt omnia.

Die primâ Aprilis, quamquam inſigniter imminutum cognoſceremus profluvium; febris nihilominus quotidianis exacerbationibus ægram cruciabat; noctes ducebat inſomnes. Alvum contractam ſubduxit Enema.

℞. Decocti ex fol. Verbaſci & ſemine Lini parati, S. Q.
Adde Mellis Nymph. ℥. iij f. Enema.

Nocte ſequente, uterus ex integro ſiluit; hanc tamen pervigilavit ægrotans.

Die 2. paratum eſt apozema.

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Lactucæ, ana M. j.
Cortic. peruvian. contuſ. ℥. ß.
Bull. Q. S. in aq. ℔. j. ß.
In colat. dilue Syr. Corall. ℥. j.
F. Apoz. in tres doſes diſtrib. & tertiâ quâq. horâ exhib. juſculis intermediis.

Interim, ad vesperum infundatur Enema priori simillimum. Laxata est alvus; febris intermisit.

Die 3. eidem viæ inhæsimus, exitu pari. Febris ægram tentavit manè; horâque post meridiem 2. intermisit.

Die 4. tantâ sævitiâ laborantem invasit, ut ab omni remedio abstinuerim. Die medio, jactata est delirio: venter tumuit. Rebus ergo dubiis subitò factis, præsentaneum in saphenæ sectione reposui remedium: ductæ sunt ℥. sanguinis XII. julepusque horâ decimâ serotinâ sumendus paratus est.

℞. Aq. Lactucæ & Nymph. ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥. vj. f. Jul.

Mentis suæ compos facta est, horis post saphenam sectam duabus; somno autem noctu recreata.

Die 5. præscripta resumpsit apozemata: febris quæ pridie non intermiserat, hac die mane remisit. Meridiano tempore immissum est Enema.

Die 6. febris intermisit. In proximum diem paratum est catharticum.

℞. Mellis aërii, ℥. ij. ß.
Dissol. in aq. ℥. vj.
In colat. dilue ol. amygd. dulc. ℥. ij.
f. haustus.

Ubertim dejecit ægra, quam febris levissima tentavit. Diebus 8. & 9. eadem sumpsit apozemata.

Die 10. ſic purgata eſt; jamque febris erat depulſa.

℞. Rhei Electi, ʒ. j.
Agarici, ʒ. j. ß.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. j. ß.
In aq. ℔. ß. f. S. a. p. lax. uno hauſtu ſumenda.

Uberrimam viſcidæ Colluviei quantitatem adduxit potio. Cùm autem nihil à fugatâ febre metuendum eſſet; convaleſcentem monui, ut aſinino lacte uteretur, quo tuſſis reſidua ſedaretur. Monitis obtemperavit, confirmatamque ſanitatem recuperavit.

OBSERVATIO II.

DIe 14. Julii 1729. advocavit me Domina *** annos nata 30. fœtum bimeſtrem mortuum pepererat die menſis ejuſdem 10. ab illoque abortus die ſanguinis profluvium patiebatur. Mox ſcilicet ſanguis ex utero ſtillabat; mox ſanguinis coagula prorumpebant; mox liquor loturæ carnium ſimilis defluebat. Febris aderat continua; nauſeabundi conatus ventriculum laceſſebant; cibos faſtidiebat ægra, macie confecta: pulſus erat parvus, frequens, interdum intermittens. Tempera-

mentum autem biliosum, fervida mens & hilaris. Sanguis è brachio bis fuerat eductus: tertiam venæ sectionem præscripsi; potionemque Cochleatim alternis horis potitandam.

℞. Aq. Plantag. & Centinod. ana ℥. iij.
Confect. Alkerm. ʒ. j.
Lapid. hæmatit. terræ sigill. Bol. Armen. & Trochiscor. de Karabe, ana ℈. j.
Syr. Myrtei ℥. j. ß. f. p.

Juscula parata sunt ex carnis vitulinæ duplâ quantitate, unâ bubulæ; gallinaceo pullo & orizâ additis. Potus autem ordinarius, ex decocto pulli gallinacei exenterati, inclusâ semin. iv. frigid. contus. ℥. j. ß. in aq. ℔. v. ad remanent. ℔. iij.

Die 15. secta est iterum vena in cubito, detractaq. sanguinis ℔. ß. minori copiâ sanguis defluxit.

Die 16. summo diluculo, floribus sanguis cum doloris & ponderis sensu largè exsiliit. Quamobrem cum majus à profluvio, quam à phlebotomiâ periculum immineret; habitâ virium ratione, missus est sanguis è brachio ad ℔. ß. decoctum verò gallinacei pulli & aquam *parvam forgensem* (*la petite eau de forges, celle qui n'arrive que de huit en huit jours*) per alternas vices exhausit ægra: nec potionem descriptam omisit.

Die 17. mitigata sunt symptomata;

nullum pondus erat in ano, nullus in utero dolor; corpus autem multo quasi labore fractum. Missione sanguinis abstinuimus: reliqua more solito gesta sunt usque ad diem 20.

Die igitur 20. rebus in bonum abeuntibus, aquam *forgensem* solam pro potu ordinario dedimus: supradescriptæ potioni, bolum sequentem bis in die vorandum subrogavimus.

℞. Spermat. Ceti, g̃. x.
Lapid. Hæmatit. & Trochiscor. de Karabe, ana g̃. VI.
Anti-hectic. poterii, g̃. IV.
Massæ pilul. de Cynogloss. g̃. j.
Cum S. Q. Syr. Corall. f. bol. mane & serò quotidie exhib. donec prohibeatur.

Cremoris orizæ Cochlear in jusculis accuratè solutum est, ut alimento quasi medicamentoso magis nutriretur ægra. Porrò alvus erat pigerrima, quam tamen movere reformidabam, ne cruentum revocaretur effluvium. Itaque, non decocti ℔. j. quâ constat Enema; sed ℔. ß. tantum immissa fuit. Decoctum autem paratum est ex lactucæ & portulacæ foliis, cum butyri recentis ℥. ij. Hæc omnia tentata sunt ad diem usque 25. quo in aquæ parvæ mineralis locum, magnam suffecimus: (*l'Eau de forges qui arrive par relais tous les jours, & qui par cette raison est plus forte que la peti-*

te.) De cætero nihil immutatum eſt.

Die 26. contractam alvum carthartico ſubduximus.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℔. ß.
Bull. Q. S. in ſeri lactis ℔. j.
F. colat. in duas doſes diſtrib.

Die 27. convaleſcentem hortatus ſum ut polentâ Britannâ (*Gruau de Bretagne*) in modum *caffé* paratâ, quotidie jejuno ventriculo uteretur; horâ verò decimâ ſerotinâ, priuſquam ſe thalamo componeret, lac vaccinum deſpumatum hauriret ad ℔. j.

Tam feliciter adhibita fuit noſtra curandi methodus, ut ſanitate confirmatâ gaudentem ultimò ſalutaverim laudatam Dominam die ſcilicet primo Auguſti. Ad majorem tamen cautelam, aſinino lacte uſa eſt menſe Septembri.



SECTIO SECUNDA.

DE ANGINA.

OBSERVATIO PRIMA.

DIE 10. Novembris 1724. citatim accivit me nobilis Domina *** filia, annos nata 26. Anginâ laborans. Ardebat febris; urgebant reſpirationis & deglutitio-

nis angustiæ; pulsus erat profundus; turgidus; temperamentum sanguineum; festiva mens; obesissimum corpus. Semel è brachio sanguinem miserat Chirurgus. Rursùm secta est vena in cubito ad detracti sanguinis ℔. fermè unam. Ptisana parata est ex decocto radic. graminis & fragariæ. Gargarisma verò ex fol. agrimon. & hordeo, cum syrupo de moris. Medio die clyster injectus fuit ex decocto emolliente, cum mellis nymphati ℥. iij. Sub vesperum, iisdem pariter sævientibus symptomatis, ductæ sunt è jugulari venâ ℥. sanguinis xii. nec mediocre levamen accessit.

Die 11. symptomata remiserant: immissum est manè Enema ex furfuris decocto, cum mellis nymphati ℥. iv. Cyathim hausit ægra seri lactis ℔. ij. cum syr. viol. ℥. j. ß. alvus facta est legitimè liquida. Similiter actum est die 12.

Die 13. purgationem instituimus.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. viol. ℥. j. in seri lactis ℔. j. ß.
f. S. a. p. lax. Cyathim tertiâ quâque horâ exhib. jusculis intermediis.

Res in melius devenêre. Verumtamen,

Die 16. de spirandi difficultate recidivâ conquesta est; doloribus circa renes; capitisque vertiginibus. Ducta est è saphenâ ℔ sanguinis j. sub vesperum immissum est Enema ex emolliente decocto & mellis

mercurialis ℥. iij. Noctu menstrua prodiere. Fugatis itaque symptomatis, nihil tentatum est usque ad diem 26. quâ sequens catharticum exhibuimus.

℞. Follic. Senn. ℥ j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. haustus.

OBSERVATIO II.

Die 30. Julii 1725. febre ardenti, capitis doloribus, fauciumque inflammatione correptus est Dominus *** annos natus 3 . temperamentum erat sanguineum, morosa mens, corpus obesum. Minimus equidem labor, etiam in statu sano, sudorem moliebatur; & ubi per aliquod tempus diaphoresis defuerat, statim ipsi fauces oblidebat ngina. Illicò, me jubente, missus est sanguis è brachio ad ℥. xij. medio die adstrictam alvum subduxit Enema ex emolliente decocto & mellis mercurialis ℥. iij. ad vesperum, sorbitio difficillima facta est; denuò mittendum sanguinem judicavi ad pondus ℔. j. Porrò horâ nonâ serotinâ, naturæ diaphoreticam viam tentanti succurrimus.

℞. Aquar. Meliss. & Card. bened. ana ℥. j. ß.

Sang. Ibicini, ℨ. ß.
Syr. viol. ℥. j. f. p. in duas doſes diſtrib.

Copioſum ſudorem elicuit hæc potio; ſymptomataque mitigavit.

Die 31. manè, turgeſcentibus adhuc vaſis, jugularis vena ſecta eſt, ut reſidua ſpirandi & deglutiendi modica difficultas tolleretur; detractuſque fuit ſanguis ad ℥. xij. horâ poſt meridiem 4. clyſter injectus eſt ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. in lactis ſero decoctis; in colaturâ ſolutæ ſunt Cryſtall. miner. ℨ. ij. res pro votis ſucceſſit. Horâ 8. cutis madida deprehenſa eſt, ideòque naturam quò vergebat, adduximus; eodem medio deſideratum ſomnum conciliavimus.

℞. Aq. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana ℥. j.
Sang. Ibicini, ℈. j.
Syr. Diacod. ℥. j. f. p, ad duas doſes.

Placidus acceſſit ſomnus, horis circiter ſeptem; febris remiſit, manavit ſudor uberrimus.

Die 1. Auguſti, ſolida ſalutis ſpes affulgebat. Stabulantem in inteſtinis bilioſam colluviem eduximus.

℞. Caſſ. cum Siliq. contuſ. ℥. vj.
Tamarindor. ℥. j.
Bull. Q. S. in ſeri lactis ℔. ij.
Adde Mellis aërei ℥. ij.
In colat. dilue Syr. viol. ℥. j.

A vj

F. p. in quatuor doses distrib. & tertiâ quâque horâ sumend. jusculis intermediis.

Ubertim exonerata est alvus, prosperrimaque facta sunt omnia. Diebus 2. & 3. immissa fuerunt Enemata.

Die 4. purgatio fuit instituta.

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Meduil. Cass. mund. ℥. j. ß.
Syr. Cichor. comp. ℥. j. in aq. ℔. j.
f p. ad duas doses.

Egregiè dejecit æger, atque à morbo cœpit convalescere.

Die 7. ultimò purgatus est.

℞. Rhei electi & agarici, ana ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Sal. Epsomiens ʒ. ij. f. s. a. haustus.

Die 9. rebus suis tam domesticis quam extraneis operam dedit facillimè, atque à morbo sævissimo radicitùs se liberatum agnoscens, mihi multas peregit grates.

Verùm diebus mensis ejusdem 10. 11. 12. & 13. tam incautum tenuit vitæ genus, ut die ipsâ 13. declinante, diris tum ventriculi, tum intestinorum torminibus fuerit cruciatus, supervenerint spiritûs angustiæ; vehemensque febris imprudentem ægrum corripuerit. Ingentes tollit ejulatus, lectoque vix contineri potest. Rursùm vocatus accedo; statim è brachio mittuntur ℥. sanguinis xij. horis tribus elapsis, infunditur Enema ex Emolliente

decocto, & mellis mercurialis ℥. iv. tumenti abdomini emollientes herbæ admoventur. Sub vesperum dolores increbruêre; secta est illicò saphena, ductusque sanguis ad ℔. j. Nocturna verò quies ut succederet, julepum sequentem exhibuimus.

℞. Aquar. Lactucæ & Nymph. ana ℥. ij.
Syr. Diacod. ℥. j. f. julep. ad duas doses.

Somno laudabili recreatus est æger; imminutaque sunt symptomata.

Die 14. medio die, redeunt de novo dicta tormina, febris increscit; exhibetur mixtura laxans.

℞. Cass. cum Siliq. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Epsomiens. ℥. ß. in aq. ℔. j. ß. f. s. a. p. purgans. Cyastim haurienda.

Largè subducta est alvus. Iteratus est vesperè julepus, parique exitu sumptus.

Die tamen 15. res eò devenêre, ut mors immineret.

℞. Sal. Stib. g. iij. dissol. in aq. ℥. iv. pro dosi illicò sumenda.

Post horas quinque ab assumpto Emetico, hauriat sequens catharticum.

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Dissol. in aq. ℥. vj.
In colar. dilue Ol. amygd. dulc. ℥. ij. f. haustus.

Per superiora & inferiora, stupendam

flavæ & glutinosæ colluviei copiam æger ejecit, sedatique fuerunt dolores. Sub vesperum, immissum est Enema ex aquâ fluviatili & mellis Nymphati ℥. iij. exhibitus est julepus prioribus similis.

Die 16. sequens apozema propinavit ægrotans.

℞. Fol. Bugloss. Borrag. Cichor. & Ceræ fol. ana S. Q. ut ex illis contusis & expressis educatur succus ad ℥. xij.

In clarificato succo dissol. Manna ℥. ij. ß.

In colat. dilue Syr. de v. radicibus ℥. j. f. apoz. ad duas doses.

Ad vesperum immissus est Clyster ex aquâ fluviatili solâ. Similia facta sunt ad diem usque 26. omisso Manna. Verùm ultimam purgationem instituimus die 27.

℞. Rhei Electi, ʒ. j.

Mellis aërei ℥. j. ß.

Elect. lenit. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. s. a. haustus.

Morbo autem radicitùs fugato, convalescentem monui, ut quotidie per dies quindecim voraret Rhei pulver. g̃. x. cum S. Q. Syr. de Absynth. sub formâ boli, & insuper hauriret assiduè infusum ex baccis Juniperi & Cinnamomo paratum. Monito paruit, firmamque sanitatem est adeptus.

OBSERVATIO III.

DIE 13. Octobris 1726. vocatus sum auxiliaturus Dominæ *** annos natæ 30. Anginâ plevriticis symptomatibus stipatâ laboranti. Temperamentum gerebat sanguineo-biliosum ; fervidam mentem, corpus obesissimum. Morbi dies hic quartus erat, semelque sanguinem è brachio miserat Chirurgus. Me præsente ductæ sunt denuò ℥. sanguinis xij. è basilicâ. Ptisana parata est ex decocto radic. graminis & orizæ, addendo versùs decoctionis finem rad. althææ. Cochleatim potitandam præscripsi potionem.

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Adde Syr. de Althæa ℥. j.

Nihil ultra tentatum est, utpote horâ decimâ serotinâ dante.

Die 14. manè, ducta est sanguinis quantitas similis è brachio, inflammatoriâ qualitate non mutatâ. Ut faucium ardori consuleretur, gargarysma sequens paratum est.

℞. Hord. integr. ℥. ß.
Bull. Q. S. in aq. ℔. ij.
In colat. dilue Syr de moris, ℥. j. ß. & Spir. vitrol. S. Q. ad gratam aciditatem.

Ad vesperam immissus est Cyster ex

Emolliente dec. & Mell. nymph. ℥. iv.

Die 15. manè mitior erat tussis, levior quoque febris, licet in die, exacerbationibus sese manifestans. Quarta venæ sectio celebrata est in brachio : hanc secuta est sorbitio facilior. Nihil autem in sanguinis qualitate mutatum cognovi. Immissum fuit Enema priori simile.

Die 16. nullus in latere dolor deprehensus est : respiratio autem difficilior facta ; faucium ardor & strangulatus majores. Ad saphenæ sectionem tunc summoperè indicatam confugissem, ni ægram noctu sæpius anima defecisset ; pulsumque exilissimum invenissem. Ut ergo desideratis viribus colligendis aliquod tempus concederetur, à phlebotomiâ abstinui, ardorique soli temperando statim incumbens, emulsiones Cyathim exhibendas præscripsi.

℞. Semin. iv. frigid. contus. ʒ. vj.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. excortic. N. vj.
Contund. in mortar. marmor. sensim affund seri lactis ℔. ij.
In colat. dilue Syr viol. ℥. j. ß. f. emuls.

Collo admota sunt Cataplasmata ex lacte, micâ panis albissimi & croco parata. Noctem pervigilavit ægrotans.

Die 17. manè, memorata sævière symptomata ; pulsus elatior tangentis digitos

validiſſimè feriebat : æſtu febreque jactatam , & vertiginibus noctu occupatam fuiſſe laborantem accepi. Parentes oravi, ut è Collegis quem vellent appellarent Conjudicem ; ſiquidem ſaphenæ ſectionem ſine morâ celebrandam , celebrari tamen non ſinerem , quin prius conſilio meum firmaretur judicium. Annuerunt omnes, virumque probitate & experientiâ clariſſimum ſelegerunt. Factâ itaque accuratâ morbi & remediorum adhibitorum relatione , fuit hæc mea concluſio , ut ſcilicet aperiretur ſaphena, ſanguiniſque ℔. j. mitteretur : dein amicâ quie recrearet ægram nocte proximâ julepus.

℞. Aquar. Lactucæ & Nymphææ , ana ℥. ij.
Syr. Nymph. & Diacod. ana ℥. ß.
f. jul.

Ut autem ſuperſtiti tuſſiculæ conſuleretur , ptiſanæ addita eſt Jujub. ℥. ß. Similiter conjudicavit laudatus Senior, à quo tamen poſtulavi ut me proximâ die, quâ erat in rerum Medicarum cognitione verſatiſſimus , adjuvaret. Levamen inſigne à propoſitis & adminiſtratis acceſſit ; factaque eſt vix credibilis ſymptomatum remiſſio.

Die 18. horâ poſt meridiem primâ, eâque pridie deſignatâ convenimus. Catharticum die 19. ſumendum eſſe decrevimus ſequente modo parandum. Interim alvus

die 18. ſubducta eſt clyſteribus.

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Medull. Caſſ. mund. ℥. j. ß.
Sal. Stib. g̃. ij. in aq. ℥. xij. f. ſ. a. p. lax. in duas doſes diſtrib. tribuſque horis interpoſitis exhib. juſculo intermedio.

Expectationem adimplevit miſtura lax. ſerotinis autem horis inſtitutus eſt julepus priori ſimilis.

Diebus 20, 21, & 22, emulſiones ſumpſit ægrotans; non omiſſis Clyſteribus modò ſimplicibus, modò compoſitis. Manè autem & ſerò ſic laceſſitis pulmonibus conſultum eſt.

℞. Spermat. Ceti, g̃. xv.
Corall. rub. & flor. Benzoïn. ana g̃, iv.
Cum S. Q. Syr. Papaver. albi, f. Bol. quotidiè vorandus donec prohibeatur.

Die 24. perſeverabat febris. intermittens facta: purgationem inſtituimus.

℞ Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Medull. Caſſ. mund. ʒ. vj.
In aq. ℔. ß. f. hauſtus.

Febrifugum apozema ſecuturis diebus ſumendum præſcripſi.

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. ß.
Bull. Q. S. in aq. ℔. j. ß. f. colat. in

tres doses distrib. & 3. quâque horâ exhib.

Radicitus fugata est febris die 26. nec ideò dosibus febrifugis abstinuimus, nisi die ultimo Octobris, licet die 27. menstrua prodierint; quibus cessatis, convalescentem purgavimus

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß. solve in jusculo ex vitulinâ carne parato.

Posthac vaccini lactis & decocti radic. Nymph. ana p. æ. diebus 15. continuis usa est; diebusque 8. & ultimo, hoc est 150. solutæ sunt Mellis aërei ℥. ij. in matutinâ lactis dosi.

OBSERVATIO IV.

DIE 22. Februarii 1727. nobilissima Domina *** annos nata circiter 38. accersivit me febre lentâ, spirandi difficultate, capitisque doloribus laborabat: huic imminentibus menstruis, secta bis fuerat vena in brachio, indeque non mediocriter increbruerant symptomata. Pulsus erat parvus, frequens; faciei color pallidus; tumens venter; alvus adstricta; vigilia perennis. Temperamentum autem sanguineo-biliosum; festiva mens & fervida; corpus carnosum. Moram catameniis attulerant venæ sectiones, quarum posteriorem celebraverat Chirurgus die mensis

hujus 20. Non mirum ergo quod vertiginibus renumque doloribus tentata fuerit ægrotans. Ad ſaphenæ ſectionem confugere cupiebam ; ſed quidquid dixerim, pertinaciter denegavit. Immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto & Mellis mercurial. ℥. iv. Ptiſanæ ℔. iij. addita eſt aq. Naphæ ℥. j. Similiter actum eſt ad diem uſque 26. colicos dolores menſtrua prænuntiantes quotidie paſſa eſt ægrotans, nec ideò monitis meis citiùs obtemperavit donec anguſtiſſima reſpiratio facta fuerit.

Die igitur 26. ſaphena ſecta eſt, ad detracti ſanguinis ℔. j. Veſperè floruit uterus; ſedata ſunt ſymptomata. Secutis diebus ad 4. Martii, injecti ſunt Clyſteres ex emolliente decocto, in quibus, altero quoque die, dilutæ fuerunt Mellis de mercuriali ℥. iij. Solitâ quantitate menſtrua fluxerunt : his autem accedentibus fuerat fugata febris.

Die 6. purgata eſt ægra Cathartico ſequente :

℞. Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. i. ß.
Syr. de pom. comp. ℥. j. in aq. ℔. ß.
f. S. a. hauſtus.

Ubertim alvus ſubducta eſt, laudataque convaluit Domina.

Verùm paucis diebus elapſis, propter innumera, quibus detinebatur, negotia, ſomno parùm indulſit : vario curarum

æſtu fluctuavit, ita ut agitatione & motu vix fuerit vacua. Febre denuò correpta eſt; ſpirandi & deglutiendi difficultate, capitis doloribus, ſiti inexplebili, artuum jactationibus. Citatim accivit me die menſis ejuſdem 14. ſecta eſt vena in brachio, miſſæque ſanguinis ℥. xij. ptiſana parata ex decocto radic. graminis & orizæ: juſcula ex vitulinâ carne, pullo gallinaceo exenterato & ſemin. frigid. veſperaſcente die Clyſter injectus eſt, ex furfuris decocto & melle Nymphato.

Die 15. ſimilis è brachio ducta eſt ſanguinis quantitas. Mitigata ſunt ſymptomata.

Die 16. ſaphena ſecta eſt, tamque maturè & feliciter; ut ad veſperum nulla ſpirandi & deglutiendi difficultas remanſerit. Hoc porrò notandum venit quòd dicta Domina Anginam familiariter ab anno ætatis 18. paſſa fuerit.

Uſa eſt gargariſmate ex aquâ-vitæ ſolâ; quæ quidem opportunè data, naſcentes in faucibus inflammationes citò debellat.

Die 18. purgata eſt.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei ℥. ij. ß. in aq. ℥. xij. f.
S. a. p. lax. in duas doſes diſtrib.

Die 21. tempore & quantitate ſolitis menſtruata eſt; poſtque requiſitum intervallum, ultimò purgata.

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Medull. Caſſ. mund. ℨ. vj.

In seri lactis ℔. ß. f. haustus.

Deindè per aliquot dies, ut intestinus temperaretur ardor, sequentes sumpsit emulsiones.

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N. vj.
Contund. &c. sensim affund. aq. hordei, ℔. iij. In colat. dilue Syr. de Nymphæâ, ℥. j. ß. f. emuls.

His auxiliis firmam sanitatem recepit.

OBSERVATIO V.

DIE 22. Junii 1727. curavi nobilissimam Dominam *** Abbatissam, annos natam 32. Subito capitis dolore perculsa, spirandi & deglutiendi difficultate, tussi frequente, lassitudinibus membrorum, acutaque febre, noctu è somno suscitata, cubiculariam ancillam perterruerat. Non igitur una terrorem inferebat Angina; sed à fervente sanguine delirium; sed ab epidemicâ tempestate variolæ, quarum prænuntii videbantur nauseabundi conatus frequentes. Temperamentum erat bilioso-sanguineum; mens fervida; suavissimi mores; corpus gracile. Tonsillæ præ nimiâ inflammatione & infarctu tumebant: scintillabant oculi; facies erat

purpureo rubore perfusa; pulsus durus, turgidus, saliens. Quibus omnibus scrupulosè recogitatis, venæ sectionem in brachio statim celebrandam præscripsi, ad ℥. xij. variolasque minimè suspicans, jussi ut pararetur ptisana ex decocto radic. gramin. & orizæ: jusculum ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, gallinaceo pullo & orizâ. Sub vesperum, ducta est è brachio sanguinis quantitas similis. Paululùm indè remisêre symptomata.

Die 23. graviores factæ sunt spiritûs angustiæ. Missus est sanguis è saphenâ ad ℔. j. Institutum quoque Gargarisma ex aquâ vitæ solâ. Alvus autem subducta Clystere ex fol. lactucæ & portulacæ, additis nymphati mellis ℥. iv. Tussim mitigavit potio sequens.

℞. Spermat. ceti, ʒ. j. ß.
Dissol. in ol. amygd. dulc. ℥. v.
Adde syr. viol. ℥. j. f. p. Cochleatim potitanda.

Res devenêre meliores, immissa sunt quotidie Enemata, modò simplicia, modò composita; omnia verò refrigerantia.

Die 26. pro potu ordinario sumpsit Emulsiones suprà descriptas, Observat. IV. Sectionis II. Spes quotidiè firmata est.

Die ultimo Junii, Catharticam potionem exhausit.

℞. Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.

Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℔. ß.
f. S. a. p. lax.

Die 2. Julii, ab omni Medicatione abstinuimus : eo quòd catamenia prodierint.

Die 14. purgationem ultimam adhibuimus.

℞. Mellis aërei ℥. ij. ß.
Sal. Polychresti Rupellenſ. ʒ. iij.
Syr. de Chicor. comp. ℥. j. in aq. ℔. ß.

His peractis, in Abbatiæ poſſeſſionem profecta eſt.

Annotationes Practicæ.

1. In hujus ſectionis obſervatione primâ, ſanguinem è jugulari venâ, non autem prius è ſaphenâ miſſum fuiſſe, legitur; eo quòd in illo caſu, non ab efferveſcente ſanguine, vel ad ſuperiora ruente, producta fuerit angina; ſed a ſpiſſiore, denſiore, ſtaſim concipiente : quod in praxi notatu digniſſimum. Sic enim vaſis providè & ex propinquo depletis, fluidâque mole minus compreſſâ, ſecurior ſaphenæ ſectioni paratur eventus. Secùs autem agendum in oppoſito caſu.

2. Narrat obſervatio ſecunda ſectâ bis in brachio venâ, diaphoreticam potionem feliciter uſurpatam. Experientia quidem quotidiana repugnare videtur : ſed ægrotantem lymphaticis anginis obnoxium, ſudore ſanum ſervari, vel eo reſtituto ſanari docetur. indicationes porrò petuntur

à

à juvantibus ; & quoties talis etiam in inflammatorio morbo, adhibita videbitur methodus, idem de causâ sentiendum, quod hîc annotatur. Observatio namque tertia generalioribus praxeos legibus sapienter adhæret.



SECTIO III.

DE APOPLEXIA, vel imminente, vel præsente.

OBSERVATIO PRIMA.

Die 23. Aprilis 1723. advocavit me nobilis Domina *** filia, annos nata 31. Multis jam ab annis artuum torpore, oculorum caliginibus, capitisque vertiginibus angebatur. Vix circulatorius sanguinis motus peragi poterat, tanta ejusdem erat spissitudo & copia. Cum phlebotomiam perhorresceret, eamque rejiceret, non potui quin ei trementi mentem meam aperirem. Statim igitur atque à me didicit, sibi, ex symptomatis præsentibus, Apoplexiam impendere, mihi libenter paruit. Demtus est sanguis è basilicà; vesperèque immissum Enema ex decocto emolliente & mellis nymphati, ℥. iv.

Die 24. sibi allevatæ de suo gratula-

batur obſequio, ſecundam tamen venæ ſectionem renuebat. Verùm periculo perterrita, mihi jubenti & roganti obtemperavit. Secta eſt ſaphena, ductuſque ſanguis ad ℔. j. Ad veſperum Enemate purgante laxavimus alvum.

Die 26. ſequens Catharticum hauſit.

℞. Folior. oriental. ʒ. j. ß.
Rhei ʒ. j.
Manna ℥ ij.
Sal. Glauber. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. p. lax. pro doſi.

Ex hac purgatione ſummum levamen emerſit.

Poſthac horâ prandii, diebus 15. continuis, pulverem ſequentem in unâ & alterâ jurulenti panis offâ ſumpſit.

℞. Limat. Chalyb. præp. g̃. xv. pro doſi.

Die 12. Maii, laxantem potionem exhibuimus.

℞. Agarici, ʒ. j.
Tabellar. diacarthami, ʒ. ij.
Sal. de Abſynth. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. hauſtus.

Convaleſcentem monui, ut uno quoque menſe, ſimilem pulverem ſumeret, pari ſcilicet temporis intervallo. Honorem monito debitum perſolvit, atque in patriam, menſibus circiter decem à recuperatâ ſanitate, læta remeavit.

OBSERVATIO II.

DIe 5. Julii 1723. vidi Dominum *** annos natum 62. hunc frequentissimè stupor, meliùs stertor occupabat; pulsus erat durus, profundus, intermittens; obesissimum corpus; alvus maximè coacta; mole suâ, pinguedine & humorum colluvie, corpus quotidiè ingravescebat. Secta est vena in brachio, missusque sanguis ad pondus ℔. j. vesperè alvum subduxit Enema ex fol. lactuc. & portulac. additis mellis mercurial ℥ iv.

Die 6. largâ pariter manu ductus est sanguis è saphenâ; vegetioremque se percepit æger: vires etenim erant obrutæ, non exhaustæ.

Diebus 7. & 8. injecta sunt Enemata ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. in lactis sero decoctis.

Die 9. de molestissimo oris amarore, nauseabundisque conatibus conquerentem ægrum purgavimus, consopitumque solidorum Elaterem exstimulavimus.

℞. Manna ℥. ij. solve in aq. ℔. j.
In colat. dissol. sal. stib. gr. v.
F. duæ doses tribus horis interpositis exhib. jusculo intermedio.

Saburratum virum supernè & infernè pro votis exinanivimus.

Die 10. Liquidam alvum tenuerunt Clysteres emollientes, omisso quovis purgante.

Die 11. sequentem massam sub formâ boli voravit athleticus homo.

℞. Jalap. & Mechoacann. pulver. ana g̃. xxx.
Diacryd. g̃. vj.
Cremor. Tartr. ʒ. j.
Cum s. q. syr. de cichor. comp. f. m.

Mirificè res gestæ sunt. His porrò diebus, solâ sorbitione vixit.

His feliciter administratis, convalescentem monui ut toto mense sumeret horâ prandii, Rhei pulver. g̃. xv. quò rectiùs alimenta ventriculus concoqueret.

OBSERVATIO III.

Die 26. Octobris 1723. invisi nobilissimum D.*** Abbatem, annos natum 32. Summo manè expergefactus est linguâ hæsitans; capitis vertigine tentatus; torpida brachia, atque se veluti delumbatum sentiebat: oculi erant sanguine suffusi; lingua densa, cruentisque crustulis onerata: pulsus turgidus, profundus, intermittens. Eum olim Apoplexia crebrò tentaverat. Temperamentum gerebat sanguineum, festivam mentem, suavissimos mores, quadratum corpus. Ducta est illicò

℔. ſanguinis una è brachio. Gargariſma paratum ex decocto fol. agrimon. hordei, & ſyr. de moris. Ad veſperum ſecta eſt largâ manu ſaphena: mediâ verò nocte, ſimilis quantitas ſanguinis è jugulari venâ detracta fuit.

Die 27. adſtrictam alvum ſubduxit Enema immiſſum manè, ex ſiliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj. in decocto emolliente: alterum veſperè ex ſimili decocto, additis mellis nymphati ℥. iij In proximum verò diem catharticam potionem præſcripſi.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. fiant duæ doſes.
In priore diſſol. ſal. ſtib. g̃. iij.
In alterâ ſalis ejuſdem, g̃. ij.
Prima doſis exhibeatur horâ 6. matutinâ.
Secunda horâ 10. juſculo intermedio.
Solâ autem ſorbitione vivat æger.

Uberrimam illuviei bilioſæ copiam ſupernè & infernè deturbavit emetico-cathartica potio. Veſperaſcente die perfectè expurgata eſt lingua: loquela facilis reſtituta; oculi autem cruore adhuc erant perfuſi. Hos verò ſæpiſſimè fovit aq. roſar. & plantag. ſenſimque color ille evanuit.

Die 30. denuo purgationem inſtituimus.

℞. Folior. oriental. ʒ. j. ß.
Rhei, ʒ. j.

Mellis aërei, ℥. ij.

Sal. nitri, ʒ. ß. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Rursùm die 2. Novembris.

℞. Follic. senn. ʒ. ij.

Tamarindor. ℥. j.

Sal. veget. ʒ. j. ß. in aq. ℥. vj. f. &c.

Lutetiæ diù permansit, nec de minimâ morbi labe conquestus est.

OBSERVATIO IV.

DIe 19. Aprilis 1724. vocatus sum auxilio nobilis viri Domini *** ætatis annum 63. agentis. Vertigine fuerat subitò correptus: mox subsecutâ loquelæ, motûsque privatione. Tertia autem duobus ab annis hæc erat apoplectica tentatio. Habitu corporis erat athletico; sanguine & humorum infarctu obrutus jacebat; animoque moroso dudùm aggravatus sibi ipse displicebat, qui semper obsequiosus, omnibus olim in amore atque in deliciis fuerat. Vena in cubito aperta est, ad detracti sanguinis ℥ xij. vesperè repetita venæ sectio. Post primam venæ sectionem remisere symptomata.

Die 20. manè, ductæ sunt è saphenâ ℥. sanguinis xij. alvus soluta est Clystere purgante. Potionem verò sequentem Cochlea-

tim singulis ternis horis potitandam descripsi.

℞. Aq. betonic. & flor. Tiliæ, ana ℥. ij.

Pulver de Guttetâ, ʒ. j.

Lilii paracelsi, gutt. xv.

Aq. Naphæ, ℥. j.

Syr. capillor. vener. ℥. j. ß. f. p.

Die 21. Catharticum exhibuimus.

℞. Folior. oriental. ʒ. ij.

Rhei, ʒ. j.

Mellis aerei, ℥. ij.

Sal. Glauber. ʒ. j. ß. in aq. ℔. ß. f. a. p. uno haustu sumenda.

Alvus inde pro votis subducta est. Enemata laxantia die proximo immissa sunt manè & vesperè.

Die 28. purgatio rursùm est instituta.

℞. Follic. senn. Rhei & agarici, ana ʒ. j.

Mellis aërei, ℥. ij. ß.

Cremor Tartari, ʒ. j. ß. in aq. ℔. ß. f. haustus.

Die 27. laudatum virum de pituitosâ colluvie per assuetam exscreationem diffluente conquerentem purgavimus.

℞. Mellis aërei, ℥ j. ß. dissol. in aq. ℥. vj.

In colat. dissol. Tabellar. diacarthami ʒ. ij. f. haustus.

Sic sensim ægrotantis factâ meliori sorte, perfecta tandem sanitas rediit.

OBSERVATIO V.

DIe 23. Julii 1724. Dominus *** annum ætatis agens 38. accivit me. Temperamento erat bilioſo-ſanguineo; corpore obeſiſſimo. Difficilè reſpirabat; univerſum corpus præ nimio pondere torpeſcens, ac multo quaſi labore fractum jacebat; capitis doloribus cruciabatur pungentibus; oculi ſcintillabant, continuoque fermè ſomno favebant: vel, ſi aperti, circumſparſi aëris partibus & lumine, quaſi multis acubus confixi irritabantur. Miſſæ ſunt illicò ℥. ſanguinis xij. è brachio, ſimiliterque veſperi. Clyſter injectus eſt ex emolliente decocto & mellis nymphati ℥. iv. Eductus ſanguis ne minimam ſeri guttulam protulit. Mitigata ſunt ſymptomata.

Die 24. manè, injectum eſt Enema ex ſiliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj. in lactis ſero decoctis. Veſperaſcente die, ℔. ſanguinis unam è ſaphenâ miſimus. Multum indè levamen acceſſit.

Die 25. immiſſa ſunt Enemata ex fol. maluæ & lactucæ decocto. In ſequentem verò diem, Catharticum deſignavi.

℞. Caſſ. cum fiſtul. ℥. vj.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.

Syr viol. ℥. j. in aq. ℔. ij. f. S. a. p. lax. Cyathim tertiâ quâque horâ exhib. juſculis intermediis.

Die 26. copioſas dejectiones adduxit Cathartica potio; vireſque nedum indè fuerint collapſæ, quin imò vegetiores factæ.

Die 29. ſic ultimò purgatus eſt convaleſcens.

℞. Follic. ſenn. ʒ. ij.
Rhei, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. vegt. ʒ. j. in aq. ℥. vj.

Alvum ubertim exoneravit, officiique ſui facillimè partes implevit.

OBSERVATIO VI.

DIe Auguſti 4. an. 1724. accerſivit me nobilis vir Dominus *** annos natus 47. Vertiginibus ex intervallo tentabatur; ſpontaneis laſſitudinibus frangebatur. Corpus gerebat quadratum, obeſiſſimum, moroſam mentem, laborique deditam, temperamentum ſanguineum. Pulſus erat profundus, durus, inæqualis. Miſſæ ſunt illicò ℥. ſanguinis xij. è brachio. Sub veſperum injectus Clyſter ex emolliente decocto & mellis mercurialis ℥. iv.

Die 5. manè, licet remiſſa viderentur

ſymptomata, ducta eſt nihilominus è brachio ℔. ſanguinis j. In primis duabus ſcutellis ſiccus vaſorum parietibus adhærebat: tertiæ legitima ſeri quantitas innatabat. Ad veſperum immiſſus eſt Clyſter ex ſiliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj. in lactis ſero decoctis.

Die 6. melioribus ægri rebus factis, immiſſa ſunt Enemata ſimplicia.

Die 7. fuit inſtituta purgatio.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in ſeri lactis ℔. j.
Adde mellis acrei, ℥. ij. ß.
In colat. diſſol. ſal. veget. ʒ. j. & dilue ſyr. viol. ℥. j. ad duas doſes.

Die 8. & ſequente, Clyſteres injecti ſunt, unus ſcilicet ex fol. lactucæ & portulacæ, additis nymphati mellis ℥. iv. alter ex ſolo emolliente decocto.

Die 10. Catharticum præſcripſi.

℞. Follic. ſenn. Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Manna, ℥. ij.
Salis Epſomienſis, ʒ. iij.
Aq. Naphæ ℥. ß. in aq. ℔. ß. f. hauſtus.

Perfectam ſanitatem recuperavit. Verumtamen ad diem uſque 19. aſſiduè ſumpſit, jejuno ventriculo, ſeri lactis ℔. j. ß. in tres doſes diſtrib. cum ſyr. viol. ℥. j. ſemelque unoquoque menſe purgatus eſt, ut metuendo viſcerum infarctui conſuleretur.

OBSERVATIO VII.

DIe 8. Januarii an. 1725. invisi nobilem virum Dominum *** ætatis annum agentem 62. noctu vertiginibus tantis fuerat correptus, ut mentis vix esset compos: præ frequentibus oculorum caliginibus, in vicis sæpius obvium quodcunque manu arripere coactus fuerat diebus proximè elapsis, ne quasi obcæcatus caderet, colicis doloribus, nauseabundisque conatibus cruciabatur; abdomen tumebat; oculi scintillabant. Pulsus erat turgidus, profundus, quandoque convulsivus; alvus adstricta. Temperamentum autem bilioso-sanguineum; festiva mens; temperati mores, corpus obesissimum. Ducta est illicò ℔. sanguinis j. è brachio: horâ proximè secutâ Clyster immissus est ex solius furfuris decocto; postque subductam alvum alter injectus ex siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. Interim aquæ tepidæ majora sepè pocula hausit, ut faciliùs stabulantes in ventriculo & intestinis humores vitiati, tam per vomitum quàm per secessum deturbarentur. Porraceam autem primò, dein flavam illuviem per superiora egessit, per inferiora similiter.

Die 9. rursùm in brachio secta est vena: symptomata remisere. Medio die & ves-

peri immissa sunt Enemata simplicia.

Die 10. fuit hæc instituta purgatio.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. f. p. in duas doses distrib.

Insigne levamen ab hoc laxante suscepit æger.

Die 12. præscripsi quæ sequuntur Apozemata.

℞. Folior. buglos. borrag. cichor. lactuc. & nasturt. aquat. ana M. j.
Bull. q. s. in aq. ℔. ij.
F. colat. sine expressione.
Dein adde syr. viol. ℥. j. ß. f. apoz. in iv. doses distrib.

Vesperè, Clyster immissus est ex emolliente decocto, & mellis de nymphæâ ℥. iij. Similia facta sunt die 13.

Die 14. Catharticum exhibuimus.

℞. Folior. oriental. ℨ. j. ß.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Epsom. ℨ. iij. in aq. ℥. vj. f. haust.

Dejectiones uberrimas, viribus integris, Catharticum provocavit.

Die 15. ut sanguini legitimum restitueretur vehiculum, ardorque superstes temperaretur, ℔. ij seri lactis, in quo facta fuerat infusio p. j. fumariæ, cyathim æger exhausit. Similiter actum est diebus 16, 17, 18 & 19.

Die 20. ultimò purgatus est vir convalescens.

℞. Mellis aërei, & sal. Epsomiens. ana ℥. j.

In aq. ℥. xii f. s. a. p. lax. in duas doses distrib.

OBSERVATIO VIII.

Die 29. Julii 1725. omnibus imminentis Apoplexiæ præcursoribus subitò correptus est nobilis vir D. *** annos natus 48. plurimis abhinc diebus caput ingravescebat; somno gravi diu noctuque premebatur; eum identidem stupor occupabat, molestaque vertigo. Corpore erat pletorico; morosâ mente; sanguineo temperamento; corpoream verò molem humoribus onustam gerebat. Die igitur 29. hæsitavit linguâ, arctiùsque dormivit, ita ut à somno vix potuerit excitari, atque experrectus, statim ronchissaret. Solliciti meritò trepidique parentes advocant me proximam fugaturum Apoplexiam. Pulsus erat profundus, tardus, undosus, ac subinde intermittens. Illicò me præsente missus est sanguis è brachio ad ℔. j. dein injectum Enema ex decocto emolliente, electuar. lenit. ℥. j. & mellis nymph. ℥. iij. Ad vesperum similis quantitas sanguinis è brachio ducta

eſt. Hic è venâ, uti prior, circumfluens, quaſi congelabatur, grumuloſque efformans ad ſcutellam lentè deveniebat. Immiſſus eſt etiam Clyſter ex ſiliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. & cryſtall. miner. ʒ. ij. in colaturâ ſolutis.

Die 30. manè, perſeverantibus ſymptomatis, eductus eſt ſanguis è ſaphenâ ad ℔. j. Injectus eſt, medio die, Clyſter ex emolliente decocto & mellis nymphati ℥. iv. Ad veſperum ſimili quantitate ſanguinem rurſùm è ſaphenâ detraximus. Parata ſunt apozemata cyathim totâ nocte ſumenda.

℞. Folior. bugloſſ. borragin. cichor. & cærefol. ana M. j. ß. bull. q. ſ. in aq. ℔. ij.

Adde mellis aërei, ℥. ij. ß.

In colat. diſſol. ſal. Epſomienſ. ℥. j. & dilue ſyr. de v. radic. ℥. j. f. apoz. in iv. doſes diſtrib. & alternis horis exhib.

Largè ſoluta eſt alvus, paululùmque remiſere ſymptomata.

Die 31. manè, in repetendâ venæ ſectione ſpem ſalutis præcipuè reponendam duxi: verùm ut in me nullum traherem opprobrium, alicujus Collegæ conſilium imploravi. Medio die convenimus, ſimulque venam in brachio ſecandam concluſimus. Detractæ ſunt ℥. ſanguinis xij. præſcripta apozemata denuò parata ſunt. Cùm autem

horâ ſerotinâ decimâ præcipitanter ægrotantis auxilio advocatus, ſollicitam familiam agnoſcerem, quòd paucas dejectiones provocaſſent apozemata, Clyſter illicò immiſſus eſt ex aquâ, additâ ſalis & aceti modicâ quantitate, quo vix immiſſo, & alvus ubertim ſoluta eſt.

Die 1. Auguſti, manè, injectus eſt Clyſter ex furfuris decocto electuar. lenit. ℥. j. & mellis mercurial. ℥. iij. ſimiliſque veſperè.

Die 2. manè, horâ ipſâ 6. convenimus. Os amareſcens, linguaque albo-flava, intercurrentibus aliquando nauſeis, emetico-laxantem miſturam poſtulare videbantur: quapropter urgentiori negotio providimus.

℞. Folior. oriental. ʒ. ij.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.
Rhei, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
F. p. lax. in aq. ℔. j. in duas doſ. diſt.
In priore diſſol. ſal. ſtib. gr. iij.
In ſecundâ, ſal. ejuſdem gr. ij.

Toto manè, ab ægrotante non diſceſſi: supernè & infernè ubertim egeſſit, ſalvis viribus. Die proximo liquidam alvum tenuerunt Enemata.

Die 4. præparatos humores denuò protruſimus.

℞. Medull. Caſſ. mund. & Sal. Epſom. ana ℥. j.

In aq. ℔. j. f. p. lax. ad duas doses.

Abunde dejecit æger, vegetior indè factus.

Die 17. purgationem instituimus.

♃. Folior. Cichor. Cærefol. & Nasturt. aquat. ana M. ß.
Follic. Senn. ℨ. ij.
Rhei, ℨ. j.
Manna, ℥. ij.
Sal. Polychresti Ruppellens. (vulgò *de Segnette.*) ℥. ß f. Apoz. lax. in aq. ℔. j. ad duas doses.

Tam firmâ fuit valetudine, ut die mensis ejusdem 22. longum iter curru suo vectus fecerit, salvusque rusticam domum attigerit.

OBSERVATIO IX.

Die 20. Septembris 1725. Dominus *** annos natus 72. corporis titubationibus, capitisque vertiginibus continuis correptus est, ita ut ipsi proxima impenderet Apoplexia. Temperamento erat maximè sanguineo, macilento corpore. Secta est illicò vena, eductusque sanguis ad ℔. j. Horis duabus elapsis, immissum est Enema ex furfuris decocto, & mellis mercurialis ℥. iij. Tempore meridiano, rursùm aperta est vena, similique quantitate detractus sanguis. Ad vesperum injectus Clyster ex siliq. Ægypt.

contuſ. ℥. vj. in lactis ſero decoctis.

Die 21. manè, ſymptomata mitigata videbantur; nihilo tamen minus, ſecta eſt vena in pede, ad educti ſanguinis ℔. j. dein naturæ ſudorem molienti auxiliatus ſum.

℞. Aquar. Meliſſ. Card. bened. & Bugloſſ. ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j.
Sang. Ibicini, ℈. ij.
Syr. de Tunicâ, ℥. j. f. p. diaphoretica, ad duas doſes

Copioſum ſudorem movit potio, inſigniterque levatus eſt æger. Veſperè immiſſus eſt Clyſter ex emolliente decocto, & nymphato melle.

Die 22. inſtituta eſt purgatio.

℞. Follic. Senn. & Rhei, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ʒ. j.
Sal. ſtib. g̃. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Rurſùm die 24.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℔. ß.
Tamarindor. ℥. j. Bull. q. ſ. in aq. ℔. ij.
In colat. diſſol. Sal. Epſomienſ. ʒ. vj. f. p. lax. in quatuor doſes diſtrib. & tertiâ quâque horâ ſumenda, juſculis intermediis.

Copioſæ dejectiones factæ ſunt, optimæque res ægrotantis devenêre.

Die tamen 25. cùm ægrotantis oculos continuò quædam quasi ſcintillulæ ferirent, quidamque vertiginoſus ſupereſſet ſenſus, balnea præſcripſi, ſemel in die uſurpanda; horis ſcilicet duabus. Cyathim hauriendam Emulſionem deſignavi.

℞. Semin. iv. frigid. ʒ. iij.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N. iv.
In aq. Hordei ℔. j. ß.
Cum Syr. de Nymph. ℥. j. f. ſ. a.
Emulſ. uno quoque die ſumenda.

Diebus balneorum 5. & 10. ſeu ultimo, purgatus eſt æger; confirmatamque ſanitatem, ſtupentibus amicis, adeptus eſt.

OBSERVATIO X.

DIe 29. Decembris 1725. horâ ſerotinâ undecimâ, vocatus ſum auxilio Domini *** annos nati 73. Apoplexiâ correptus fuerat horâ ejuſdem diei 6. veſpertinâ, biſque ſanguinem è brachio miſerat Chirurgus dexterrimus. Quarta autem hæc erat tribus abhinc annis apoplectici torporis invaſio. Pulſum tetigi durum, plenum, profundum; abdomen quoque tumidum. Illicò è ſaphenâ ℔. ſanguinis j. ducta eſt: quo facto, ſequenti ordine datum eſt Emetico-catharticum.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℔. ß.

Bull. q. ſ. in aq. ℔. ij.
Adde Mellis aërei, ℥. iij.
In colat. diſſol. Tart. Stib. g̃. viij.
F. p. Cyathim alternis horis exhib. juſculis intermediis.

Interim, donec parata fuerit potio, ad ſubducendam alvum; diſponendamque potioni viam, immiſſum eſt Enema.

℞. Folior. oriental. ʒ. iij.
Benedict. laxat. ℥. ß.
Sal. veget. ʒ. j. in ſ. q. aq. f. ſ. a. Enema.

Exoptatâ quantitate dejecit æger, cui ut tempeſtivum daretur ſubſidium, totam pervigilavi noctem. Porrò uberrimam viſcidæ colluviei copiam per ſuperiora & inferiora proturbavit potio; & primo diluculo, muſſitantem ægrum audivimus; voxque liberior manè proximo rediit.

Die igitur 30. manè, pulſum deprehendens ſimiliter durum, è pede rurſùm ℔. j. mitti volui, alvumque teneram ſervavit miſturà ſequens.

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. j.
Bull. leviter in aq. ℔. ij.
Adde Mellis aërei, ℥. iij.
In colat. diſſol. Sal. Epſomienſ. ℥. j.
f Apoz. lax. Cyathim tertiâ quâque horâ ſumend.

Ad veſperum, balbutiens æger, geſtu magis quam voce ſignificavit, ſe magnam

capitis experiri gravitatem & linguæ aſperitatem. Tunc ego jugularem venam eſſe ſecandam jud cavi : aſt ne quiſpiam culpare me auderet, vel ego ipſe ne ſolatium parentibus & amicis eripere viderer ; quem vel quos vellent Collegas in conſilium ut adhiberent, rogavi. Vocatus eſt vir celeberrimus, qui de remediis adminiſtratis edoctus, mecum in jugularis venæ ſectionis gratiam concluſit. Eductus eſt indè ſanguis ad ℔. fermè unam, ſalvis ægri viribus ; & in continuatorum apozematum unâquâque doſi dilutæ ſunt Lilii paracelſi gutt. x.

Die 31. liberior aderat loquela, caput autem ſemper gravatum. Quapropter nobis conjudicantibus, denuò miſſus eſt è pede ſanguis, ad pondus ℥. vij. Veſperaſcente die Clyſter injectus eſt ex emolliente decocto & mellis mercurialis ℥. iv.

Die 1. Januarii, ridebant omnia, ita ut pedes & manus facillimè moveret æger. Sequens inſtituta eſt purgatio, Balarucenſibus aquis idoneam paratura viam.

℞. Follic. Senn. ℨ. ij.
Rhei, ℨ. j.
Manna Calabrini, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ℨ. j. in aq. ℔. ß. f. S. a. p. lax. uno hauſtu ſumenda.

Die 2. Cyathim dictarum aquarum ℔. iv. (*deux pintes*) hauſit, intrà ſpatium duarum horarum ; bibenſque domi in-

ambulabat. Egessit cumulatè, seque vegetiorem percepit.

Die 3. aquarum mineralium potavit ℔. vj. similiter die 4. verumtamen declinante die . levissimâ febre tentatus est.

Die 4. solutæ sunt manna ℥. ij. ß. & sal. veget. ʒ. j. in jusculo. Sub vesperum immissus est Clyster ex furfuris decocto & mellis mercurialis ℥. iij. rigore quodam correptus est æger, quem nocte totâ febrilis calor paululùm agitavit.

Die 5. remediorum & necessariæ fatigationis consectariam febrem agnoscentes, ab omni medicatione abstinendum esse conclusimus. Vesperè autem, sine rigore laborantem invasit febris; nec quievit, nisi diei sequentis horâ matutinâ 6. Huic porrò certi fines ut constituerentur, nobis conjudicantibus, eductæ sunt è brachio ℥. sanguinis xij. Enemata simplicia immissa sunt.

Die 7. Catharticum exhibuimus.

℞. Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Epsomiens. ʒ. iij. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Nil novi factum est ad diem usque decimum.

Die autem 10. manè, bellè se habens laudatus æger, suisque viribus nimium tribuens: nobis inconsultis Barbitonsorem accivit, qui statim ipsius orantis bar-

bam, quin & crines in capite totundit & abrasit. Hoc porro notatu dignissimum venit, quod tunc vesanientes & glaciantes flarent venti. Eodem in vesperum declinante die, æstu febrique jactatus est imprudens æger, ita ut fidelissima mœstissimaque conjux equos curru subjungi jusserit, quo nos promptiùs haberet auxiliatores. Interpellatam igitur ab externo frigore transpirationem accusantes, ad diaphoretica confugiendum censuimus, ni sponte intrà 24. horas, natura sudorem moliretur.

Die 11. manè, sudore critico diffluentem ægrum reperio; naturam pro votis & pollicitis agentem demiror. Specto, non ago. Febris autem ex toto quievit.

Die 12. ne minimus quidem febrilis sensus perceptus est: imò & sudor, arteriâ placidè & ex legitimis naturæ legibus pulsante, horis circiter quatuor manavit ubertim. Ad vesperum immissus est Clyster ex emolliente decocto, & mellis nymphati ℥. iv. In proximum verò diem parata est cathartica potio,

℞. Follic. Senn. & Rhei, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ʒ. j. ß. f. haustus in aq. ℔. ß.

Laudabiliter exonerata fuit alvus; nobisque congaudentibus, ad diem usque mensis ejusdem 17. tam prosperè se res

habuêre, ut nulla ſæviſſimi morbi fuerit deprehenſa labes.

Die ergo 17. tempore hyemante, ſævientibuſque ventis, ita ut omnes frigore adſtringerentur, & Sequana eſſet glaciatus, ſubitâ & inexpectatâ correptus eſt Apoplexiâ laudatus æger. Illicò ſaphena ſecta eſt ad detracti ſanguinis ℔. j. Cyathimque propinandam Emetico-catharticam potionem præſcripſimus.

℞. Folior. oriental. ʒ. ij.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij.
Tart. Stib. g̃. x.
In aq. ℔. iij. f. S. a. &c.

Interim Enema injectum eſt.

℞. Decocti emollientis ſ. q.
Catholic. ℥. j.
Mellis mercurial. ℥. iij.
Cryſtall. miner. ʒ. ij. f. Clyſter.

Juxtà ægrum inſomnis pernoctavi, ut tempore & loco debitis remedia adminiſtrarentur. Uberrima ſupernè & infernè ſecuta eſt evacuatio, nullâ tamen exindè ſpe ſalutis oriente.

Die 18. manè, videntes ægrum eodem ſopore preſſum, veſicatoriis utendum eſſe conjudicavimus: ſtatimque collo, ſpinæ dorſi & ſcapulis admota ſunt acerrima, mordaciſſima: deinde ſoluta ſunt ſalis Stib. g̃. viij. in aq. ℔. j. ß. ad quatuor doſes. Immiſſus eſt Clyſter priori ſimilis.

Declinante in veſperum die, muſſantem audivimus ægrum: oculis errantibus adſtantes luſtrabat; imò & vehementi doloris ſenſu ſe à veſicatoriis cruciatum, geſtu & hæſitantiâ linguæ ſignificabat. Multis fuerat nauſeabundis conatibus commotus, parum per ſuperiora, copiosè verò per alvum egeſſerat. Ablata ſunt veſicatoria, fluxit abundè ſerum, cui ut liberior præberetur exitus, veſiculæ forficulis ſucciſæ ſunt; dein betæ folia butyro recenti illita parti admota ſunt. Ad veſperum dimidia corporis pars dextra paralytica viſa eſt, ita ut nec brachio nec pedi leviſſimus adeſſet motus: ſiniſtri verò lateris partes ad ægri nutum movebantur. Statim ergo periculum urgentiſſimum tandem denuò depulſum intelleximus. Attamen ut intentata relinqueretur via nulla, paralyticarum partium ſtupor exſtimularetur, calorque revocaretur; inſtitutæ ſunt frictiones ex aſpero panno calente, inungentes posteà latus affectum, oleo nucis moſchatæ, in aquâ vitæ ſoluto; tandemque illud laneo panno (gallicè *flanelle*) contegentes.

Die 19.

℞. Kermet. miner. g̃. iij.
Spermat. Ceti, ℥. ß.
Cum S. Q. Ol. amygd. dulc. f. Bol. quotidiè vorandus, donec prohibeatur.

Quotidiè

Quotidiè immittatur Enema vel simplex, vel compositum, ubi opus erit. Frictiones assiduæ bis in die factæ sunt ad diem usquè Januarii ultimum.

Die 1. Februarii, ut paralyticus vir egregiè manducans & bibens, quam possemus, longiorem vitam extenderet, liquidaque moles solidis amicè respondens, liberiori cursu veheretur, sequentem bolum quotidiè vorandum præscripsimus.

℞. Limat. Chalyb. ℈. j.
Cum S. Q. Medull. Cass. mund. f. Bol.

Interim decimo-quinto quoque die, sequens Catharticum exhibuimus.

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Rhei I lecti & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. veget. ʒ. j. in aq. Cyatho f. s. a. p. lax. uno haustu sumenda.

Attamen Vere novo, secta est vena in brachio, missusque sanguis ad pondus ℥. xiij. Hoc factum est die Aprilis 24.

His demùm auxiliis à morte ereptus est, cui nescio num mors vitæ fuisset anteponenda, vel vita morti.

OBSERVATIO XI.

DIe undecimâ Julii 1726. vocatus sum auxilio nobilissimi Domini * * * Marchionis, annos nati 62. Tempera-

mento erat pituitoſo-ſangnineo; corpore obeſo, cogitabundâ mente: ſecunda hæc erat apoplectica tentatio diebus abhinc viginti. Prior leviſſima fuerat, & venæ ſectione bis eodem die celebratâ, totidemque purgationibus Emeticis poſthac adhibitis, radicitùs avulſum exiſtimabat morbum: ſed falsò; nam die dictâ Julii undecimâ, meridiano tempore, vocem amiſit; caput quaſi turbine circumagi geſtibus ſignificavit; titubans inceſſit; eumque citò cadentem ſervi in cubiculum detulerunt. Sanguinem ſtatim è brachio miſit Chirurgus dexterrimus, Pharmacopæoque conjudicante ſoluta ſunt ſal. Stib. g̃. iij. in aq. ℥. circiter iv. Hæc accipio facta, dùm unus ægrotantis ſervus ad me citantim properaverat; pulſus erat languidus, profundus, abdomen tumens; corpus propriâ mole velut obrutum. Enema parari jubeo.

℞. Folior. oriental. ℥. ij.
Elect. Lenit. ℥. j.
Benedict. laxat. ℥. ß.
In S. Q. aq. f. Enema.

Statim quoque parata eſt Emetico-Cathartica potio.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Stib. g̃. vj. in aq. ℔. ij. f. p. in quatuor doſes diſtrib. & tertiâ quâque horâ exhib.

Copioſas facileſque tùm vomitiones,

tùm dejectiones adduxit hæc potio. Vesperè febrilem pulsum inveni; liberior facta est loquela, incessus liber; omnia denique remisere symptomata.

Die 12. eodem modo se res habebant; præparatos humores eduximus.

℞. Follic. Senn. ʒ. ij.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ʒ. j.
Aq. Naphæ ℥. ß. in aq. ℥. vj. f. s. a. haustus.

Ubertim dejecit æger, proximâque nocte placido recreatus est somno.

Die 13. vertiginibus identidem occupari se dixit, è saphenâ ductus est sanguis ad pondus ℔. j. salvis inde viribus. Porro dilata fuerat hæc sanguinis missio, eo quòd vigeret purgandi necessitas.

Die 14. amissam sanitatem recuperasse videbatur æger. Infusum est Enema manè ex emolliente decocto & mellis nymph. ℥. iij. alterum, vesperi, ex lactucæ & betæ decocto. Similiter die proximâ.

Die 16. ut redundantes humores sensim solverentur, tamque per urinas, quàm per dejectiones protruderentur, Passyacas veteres aquas præscripsi; primâ scilicet die ad ℔. ij. quotidiè dosim adaugendo, donec ac ℔. vj. pervenerit æger. Has itaque sumpsit ad diem usque sextum Augusti. Interim in dictis aquis, ad majorem efficacitatem, aliquando soluta est salis Epso-

miens. vel Polychresti Rupellens. ℥. ß.

Die 7. Augusti, fuit instituta purgatio.

℞. Follic. Senn. & Rhei, anna ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ʒ. j. ß. in aq. ℥. vj. &c.

Die autem 23. Septembris ejusdem anni, quamquam optimâ sanitate frueretur laudatus Marchio, ut recidivæ tamen ab autumnali tempestate, metuendæ provideretur, facta est sanguinis missio ad ℥. xij.

Die 25. purgationem communem exhibuimus; dieque 27. Balarucensibus aquis uti cœpit ad ℔. iv. Die 28. ad ℔. vj. totidemque die 29. exitu quidem prosperrimo.

Die primo Octobris, medicationi finem imposuit Cathartica potio.

OBSERVATIO XII.

DIE 19. Septembris 1626. accivit me nobilis Abbas D. *** annos natus circiter 44. Temperamentum gerebat bilioso-sanguineum; mentem sagacem, fervidam, laboris & litterarum amantissimam; corpus quadratum & obesum. Plurimis abhinc diebus se multo quasi labore fractum sentiebat; vertiginibusque tentatum, frigoris & horroris sensu ex intervallo corripiebatur. Pulsus erat durus, turgidus,

profundus, nec rarò intermittens. Ut ergo imminenti Apoplexiæ tuta citaque daretur medela, ductus est sanguis è brachio ad ℔. j. Vesperascente verò die, infusum est Enema ex decocto simplici & mellis nymphati ℥. iij.

Die 20. sanguinem inflammatorium scutellis adhærentem vix intueor, & venam denuò secari jubeo. Simils detrahitur quantitas, similis deprehenditur qualitas; pulsu tamen elatiore facto, mitigatisque morbi symptomatibus. Diæta tenuis instituta est, solâque sorbitione vixit æger. Nox tranquillor secuta est.

Die 22. Catharticum exhibuimus.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. inferi lactis ℔. . ad duas doses.

Ubertim dejecit æger, cum insigni levamine. Teneram alvum tenuêre Clysterés diebus 23. & 24. immissi.

Die 25. purgationem rursùm instituimus.

℞. Follic. Senn. Rhei & Agaric. ana ʒ. j
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Glauber. ʒ. j.

Die 26. ut superstites vitiati humores deturbarentur, fluida moles ad legitimam circulationem revocaretur, solidorum elater restitueretur; ægrum monui, ut antiquis Passyacis aquis uteretur, has sub-

indè efficaciores reddendo, mediante sale quovis purgante. Annuit, firmamque sanitatem adeptus est.

OBSERVATIO XIII.

DIE 33. Novembris 1726. invisi Dominum *** annos natum 40. Temperamento erat sanguineo-bilioso; cogitabundâ mente; corpore obeso, præcipuè ventroso. De capitis acerrimo dolore, vertiginibus, artuum torpore, corporis totius ardore spontaneisque lassitudinibus conquerebatur. Scintillabant oculi; abdomen tumens tangentibus & prementibus digitis renitebatur; alvus erat contracta. Illicò missus est sanguis è brachio ad ℔. j. Ad vesperum injectus est Clyster ex furfuris decocto & mellis nymphati ℥. iv. Sedatus est capitis dolor.

Die 14. immissa sunt Enemata. In sequentem verò diem præscripsi Catharticum.

℞. Semin. iv. frigid. contuf. ʒ. ij.
Amygid. dulc. excortic. N. ij.
In aq. ℥. xij. f. f. Emulf. ad duas doses.
Unicuique dosi adde Pulver. de tribus ℈. j.

Hoc porrò Catharticum elegi, eò quod saporem quemvis, vel odorem ingratum

ſummoperè faſtidiret æger. Abundè dejecit, reſque proſperrimè geſtæ ſunt.

Die 16. horâ decimâ matutinâ, colicis doloribus tentatus eſt; qui quidem mediantibus Enematis pacati ſunt. Copioſam & viſcidam illuviem egeſſit; paululùmque detumuit venter.

Die 17. dolores inteſtinorum de novo ſæviêre, nauſeis frequentibus ſtipati, necnon oris amarore. Clamores & ejulatus edit ægrotans; abſente me, Pharmacopæus exhibet ol. amygd. ulc. ℥. iij. & Syr. de althæâ ℥. j. uno hauſtu: monitus tandem propero; factum laudo, Clyſteremque ſequentem tertiâ quâque horâ repetendum præſcribo.

℞. Radic. Conſolid. major. & Althææ, ana ℥. ij.
Semin. Lin. ʒ ij.
Bull. Q. S. in S. Q. aq.
In Colat. dilue Ol. olivarum, ℥. iv.
f. Enema.

Ptiſana parata eſt ex decocto radic. graminis, Althææ, & Semine lini infuſo. Vehementiſſimis doloribus cruciatus eſt æger ad horam octavam ſerotinam: frequentiſſimè dejecit. Horâ verò octavâ, nauſeis tentatus atroces in ventriculo dolores ſe perſentire clamavit, & paulò poſt delirio vexatus eſt. Intelligens autem ego, tot & tantos dolores non aliundè quàm à viſcoſâ colluvie ventriculi & inteſtinorum

tunicis inhærente proficiſci, & à naturâ neceſſarium criticumque motum moliente; lenientibus utendum judicavi. Prætereà palulùm cruentatæ dejectiones me à quolibet ſtimulante remedio deterrebant. Quamobrem duo Cliſteres prioribus ſimiles immiſſi ſunt; affatim exhibita eſt ptiſana. Horâ autem nonâ, dejecit æger uberimè, ſtatimque mentis compos factus eſt. Mihi verò ſciſſitanti reſpondit, ſe, ubi dejicere cupierat, humores è ventriculo in inteſtina delabentes percepiſſe; animumque ſenſim recepiſſe, quoties alvum exoneraverat. Horâ undecimâ, Julepum illicò ſumendum deſignavit.

℞. Aquar. Lactuc. & Nymph. ana ℥. ij.
Syr. Nymph. & Diacod. ana ℥. ß.
f. Jul.

Placidè dormivit, horis circiter 6. non quidem continuis, ſed per intervalla. Raro autem dejecit.

Die 18. ad naturalem ſtatum rediit venter, laxus ſcilicet, flexilis: pulſus elatus, ordinatè feriens. Immiſſa ſunt Enemata prioribus ſimilia. Ab injectis Clyſteribus tantummodo ſubducta eſt alvus, quantitate paucâ. Sub veſperum, Julepum ſimiliter ſumpſit: in multamque lucem dormivit.

Die 20. vitiatorum humorum reliquiæ Catarthico ſequente per inferiora deturbatæ ſunt.

℞. Decocti ex vitulinâ carne parati ℔. ß. adde. Mellis aërei ℥. ij. ß. f. Colat. uno haustu sumenda.

Incredibilem flavæ colluviei copiam egessit; deindeque officii sui pares tutus & incolumis implevit, qui præ nimio humorum pondere spiritum quasi extremum effuderat.

OBSERVATIO XIV.

Die 2. Februarii 1727. Meam efflagilavit opem nobitis vir D. *** annos natus 36. capitis gravitate & vertiginibus; artuum torpore, manuum præsertim tremore, continuo sopore tentatus. Pulsus erat durus, plenus, profundus, subindè intermittens, errantes oculi & tumidi, interdumque balbutiebat æger. Temperamentum gerebat bilioso-sanguineum, morosam mentem; quadratum corpus & obesum. Opiparè autem vivebat. Illicò missæ sunt è brachio ℥ sanguinis xij. Enoma fuit injectum ex emolliente decocto & Mellis mercurialis ℥. iv. Diæta tenuis instituta.

Die 3. manè, ducta est è brachio ℔. sanguinis j. vesperè Clyster immissus est ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. in lactis sero decoctis. Venter largè se exoneravit, sedati sunt dolores, paucæ etiam recurrere vertigines.

Die 4. vires exhaustæ videbantur à venæ sectionibus; similemque virium jacturam pati se declaravit æger, quoties bis duobus continuis diebus sanguis sibi detrahebatur. Nec indè timor nobis fuit incussus; nam à restitutâ fluidis legitimâ circulatione id fieri intelleximus. Quotquot enim, propter languentem crassioris sanguinis motum, venæ sectionem admittunt, illi vix secundam sanguinis missionem ferunt. Immissus est Clyster præcedenti simillimus.

Die 5. fuit instituta purgatio.

℞. Follic. Senn. ʒ. ij.
Siliq. Ægypt. contus. ℥. vij.
Bull. Q. S. in aq. ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In Colat. dilue Syrup. de Cichor. comp. ℥. j. f. p. lax. in duas doses distrib.

Diebus 6. & 7. diæta tenuis servata est; Clysteres immissi sunt.

Die 8. laxantem potionem exhibuimus.

℞. Follic. Senn. & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥ ij.
Sal. de Absynth. ℈. ij. in aq. ℔. ß.
f. s. a. haustus.

Hâc præparatione feliciter & maturè adhibitâ, latentes obstructiones debellârunt, fluidæque molis lentorem emendârunt. Passyacæ veteres aquæ, quas assiduè sumpsit æger ad diem usque Martii deci-

mum. Toto igitur currente Martio, sat teneram alvum dictæ tenuerunt aquæ, ut ne levissimi quidem purgantis juvamine opus fuerit. Die autem Martii undecimo, laxantem misturam ultimò sumpsit.

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß. dissol. in aq. ℔. ß.
In colat. dilue Catholic. duplic. ℥. ß.
f. haustus.

Nullum jam supererat incommodum, præter mediocrem artuum debilitatem. Itaquè ut intrà nervorum canales liberi radiarent spiritus, solidis qnoque legitimum robur accederet; parata est sequens potio Cochleatim ter quaterve in die potitanda.

℞. Aquar. Card. bened. Betonic. & flor. Tiliæ, ana ℥. iij.
Aq. Naphæ, ℥ ij.
Lilii Paracelsi. gutt. xj.
Syr. Capillor. vener. ℥. ij. f. p.

Gratissimam hanc potionem libenter, nec minus efficaciter potitavit.

OBSERVATIO XV.

DIE 15. Octobris 1727. accivit me nobilis Domina *** annos nata 55. Capitis doloribus & vertiginibus ex intervallo tentabatur; membra præ nimio torpore quasi fracta vix ac vix movebat; eamque stupor identidem occupabat. Temperamento erat sanguineo, mente hilari,

corpore obeſo & veluti rotundo. Pulſum deprehendi durum, profundum, intermittentem, ſtatimque apoplecticum affectum cognovi. Illicò ſanguinis ℔. j. è brachio mittendam; potum ex foliis Cichor. & radic. graminis parandum; Enema ex emolliente decocto & Mellis mercurialis ℥. iv. declinante die immittendum judicavi. Solâ ſorbitione vixit æger. Sanguis eductus eſt flavus & quaſi congelatus: ubertim alvus laxata.

Die 16. Remiſſis licèt ſymptomatis, ſecta fuit ſaphena, miſſaque ℔. ſanguinis i. Die medio, agiles artus, ſerenamque mentem percepit ægra.

Die 17. Immiſſa ſunt Enemata manè & veſperi, in quorum poſteriore dilutæ ſunt Mellis de Nymphæâ ℥. iv. Catharticum autem proximo die ſumendum, deſignavi.

♃ Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Epſomienſ. ʒ. ij.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Expectationi reſpondit potio Cathartica.

Die 19. Rursùm inſtituta eſt purgatio.

♃ Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ʒ. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j.
In aq. ℔. j. f. ſ. a. p. lax. ad duas doſes.

Ex memoratis symptomatibus nullum remansit. Attamen, ut legitimum fluidæ moli vehiculum restitueretur; insidiosa, si quæ esset, obstructio vinceretur: Passyacas veteres aquas quotidiè mense solido sumendas decrevi; quibus, ubi opus esset, stimulum adderet salis cujusvis Cathartici docis congrua. His ergò convalesens usa est ad diem Novembris duodecimum. Porrò tantum ab exhaustis mineralibus aquis auxilium accepit, ut ad eas anno proximè secuto confugerit.

Attamen convalescentem rogavi, ut limaturæ Chalybis ppt. g̃. viij. Cortic. peruvian. & Rhei pulver. ana g̃. x. simul in unâ & alterà jurulenti panis offà quotidiè diebus quindecim sumeret. Debitum honorem monito persolvit, sanitatemque confirmatam recepit.

OBSERVATIO XVI.

Die ultimo Maii 1729. accivit me Dominus *** annos natus circiter 48. hunc identidem stupor occupabat; ita ut deambulando, memoriam oculosque quasi amitteret: imò & vacillans, obvium quodcumque arripere cogeretur; linguâ autem sæpiùs hæsitabat. Temperamentum erat pituitoso-sanguinum, morosa mens, corpus obesissimum, ast vir egregiè manducans & bibens: pulsus verò profundus,

turgidus, intermittens; oculorum vasa distenta, respiratio difficilis, alvus contracta. Porrò largam glutinosæ pituitæ copiam æger quotidiè manè experrectus screatu & vomitu plurimis abhinc mensibus emittebat. Bis secta fuerat vena in brachio, increbruerantque symptomata. Quamobrem ad saphænæ sectionem confugi, ut non solùm sanguinis redundantia tolleretur, sed & præsertim ejusdem motus ad superiora præceps emendaretur. Solâ sorbitione vixit æger; alvum subduxit Enema vesperè immissum ex emolliente decocto. Elect. Lenit. ℥. j. & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die Junii 1. Levamen insigne à saphenæ sectione accesserat. Vasa tamen adhuc turgentia deprehendens, è pede rursùm ℔. sanguinis unam mittendam judicavi. Clyster vesperè injectus est priori simillimus. Sequentem quoque potionem Cochleatim ter quaterve in die potitandam descripsi.

℞. Aquar. Melis. Betonic. & flor. Tiliæ, ana ℥. j. ß.
Confect. Alkerm. & pulver. de guttetâ, ana ʒ. j.
Lilii Paracelsi gutt. xx.
Aq. Naphæ & Syr. Capillor. vener. ana ℥. j. f. p.

Res feliciter gestæ sunt: in proximam verò diem parata est Cathartica potio.

℞. Folior. oriental. ʒ. j. ß.
Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Glauber. ʒ. ij.
In aq. ℔. j. cum aq. Naphæ S. Q. ad gratum odorem, f. p. lax. in duas doses distrib.

Dejectiones uberrimas procreavit Catharticum, salvis imò & adauctis indè viribus. Diætam concessimus ampliorem.

Diebus 5. 6. & 7. Clysteres assiduè fuerunt immissi, ut bolo & jusculo via pararetur.

℞. Croci martis aperient. g̃. x.
Cum S. Q. extracti de Cichor. f. bol. manè vorand. superbibendo jusc.
℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. j.
Fumariæ. p. j. Radic. Chinææ & Sarsæparillæ, ana ʒ. ß.
Carnis vitulinæ ℔. ß. bull. Q. S. in S. Q. aq.
In Colat. dissol. Sal. de duobus ʒ. ß. f. jusculum.

Hæc omnia prosperrimè tentata sunt ad diem usque mensis ejusdem 14. quo quidem purgatus est æger.

℞. Mellis aërei, ℥ ij. ß.
Dissol. in infus. fol. Betonic. ℔. ß.
In Colat. dilue Catholic. dupl. ʒ. iij. f. haustus.

Die 15. Paſſyacas veteres aquas ſumere cœpit. Hæ porrò expectationem adimpleverunt.

Die 13. Julii, quamquam ab omni labe liberatum viderem clariſſimum virum, monui tamen, ut ſingulis menſibus, diebus octo continuis, Limat. Chalyb. g̃. xv. quotidiè horâ prandii ſumeret.

OBSERVATIO XVII.

DIE 7. Octobris 1729. accerſivit me Dominus *** annos natus 40. Temperamento bilioſo-ſanguineo, mente hilari, obeſo corpore. Plurimis abhinc menſibus continuæ in ſomnum propenſioni nimiùm indulgebat, præcipuè ſtatim à prandio: ſtupore, caliginibus oculorum frequentibus moleſtabatur; linguâ ſæpiùs hæſitabat: pulſus erat durus, plenus, inæqualis. His porrò ſymptomatis primò correptus olim fuerat æger, poſt temerè repercuſſum Eryſipelas. Semel è brachio ſanguinem miſerat Chirurgus dexterrimus, ipſomet die 7. Octobris manè, rursùmque ex eâdem venâ detrahere volebat ad veſperum. Ego verò ſaphenam eligendam judicavi, ac ne timidus æger hujuſce venæſectionem paveret, adfui præſens; ductaque fuit ℔. ſanguinis una. Tenuem diætam inſtitui.

Die 8. manè, glutinosam detracti sanguinis indolem, pulsumque turgidum agnoscens, è saphenâ ℔. sanguinis j. denuò, me præsente, mittendam decrevi. Se agiliorem medio die prædicavit æger: vires etenim anteà erant obrutæ, non autem exhaustæ. Porrò laboranti vinum interdixi. Pro potu sumpsit decoctum radic. gramin. & fol. Cichor. Sub vesperum immissus est Clyster ex emolliente decocto, Mellis Nymphati ℥. iij. & Electuar. Lenit. ℥. j.

Die 10. Catharticam potionem hausit.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. Q. S. in decocti fol. Cichor. & Scolopend. ℔. j.
Adde Mellis aërei ℥. ij. ß.
In Colat. dissol. Sal. veget. ʒ. j. ß.
Et dilue Syr. viol. & aq. Naphæ, ana ℥. j.
Ad duas doses tribus interpositis horis exhibendas, jusculo intermedio.

Alvus pro votis subducta est.

Die undecimo, injectum est Enema ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. in lactis sero decoctis: proximo autem die purgatus est æger.

℞. Follic. Senn. Rhei & Agarici, ana ʒ. ij.
Mellis aërei, ℥. j.
Sal. Glauber. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. S. a. p. lax. uno haustu sumenda.

Die 13. Balarucensibus aquis usus est ad ℔. iv. Die 14. ad ℔. vj. In primo aquarum Cyatho solutæ sunt Salis Polychresti Rupellensis (vulgò *de Seignette*) ℥. iij. Similiter actum est die 15. Vires quotidiè ab assumptis aquis firmabantur: alvus affluenter laxabatur. Attamen è tumescente adhuc abdomine, oreque amarescente indicationem desumens, ægrotantem hortatus sum, ut tertiam dictarum aquarum lagenam, hoc est ℔. viij. resumeret. Monito paruit, easque diebus 16. & 17. Cyathim more solito exhausit.

Die 19.

℞. Mellis aërei ℥. ij.
Sal. Epsomiens. ℥. ß. in aq. ℔. ß. f. haustus.

Die 22. ultimò Catharticum exhibuimus.

℞. Mellis aërei, & Catholic. duplic. ana ℥. j.
In aq. ℔. ß. f. potio lax.

Ne minimam quidem morbi labem deinceps percepit.



SECTIO IV.

DE ARTHRITIDE.

OBSERVATIO PRIMA.

DIe 26. Julii 1723. invisi Dominam *** filiam, annos natam 28. doloribus artuum acerrimis & spasticis correptam. Manus & pedes vastiùs tumebant, cum insigni earumdem partium inflammatione & sensu caloris deurentis; frequenter animo linquebatur; febrisque aderat non pauca. Menstrua deniquè parùm & inordinatè fluebant: insuper continuò nauseabat. Abdomen erat tactu durum, alvus pigerrima, angustissima respiratio. Parata est Ptisana ex decocto radic. graminis, asparagi, fœnic. & semin. Lini: in cujus decocti ℔. iij. soluta est Sal Nitri ʒ. j. Clyster immissus est ex emolliente decocto & Mellis communis ℥. iv.

Die 27. Missus est sanguis è brachio ad ℥. xij. Injectum est Enema priori simile. Herbæ autem emollientes lacte imbutæ ventri tumenti admotæ sunt. Vesperè, lectum ignitabulo calfactum est, in quo baccæ Juniperi contusæ positæ fuerant, quibus per totum lectum vapor suscitaretur: Thalamis autem vix composita se-

quentem potionem Cochleatim potitavit.

℞. Aquar. Meliss. Scabios. & Card. bened. ana ℥. j.
Sang. Ibicini, ℈. j.
Aq. Theriacal. ʒ. ß.
Syr. de Tunicâ, ℥. j. f. p.

Copiosum sudorem noctu emisit.

Die 28. Symptomata remiserant: nihilo tamen minus, secta est in pede vena ad pondus ℔. j. Medio die immissus est Clyster ex decocto communi & Mellis Nymph. ℥. iv. Ad vesperum, unam exadstantibus monui, ut manus & pedes ægrotantis foveret urinâ calente, in quâ butyrum recens fuisset anteà jactatum: illitis primò pedibus & manibus butyro illo urinâ abluto; deindè verò linteis ipsâmet urinâ mixtâ imbutis, pariterque admotis.

Die 29. parata est mistura sequens.

℞. Cass. cum fistulis contus. ℔. ß.
Bull. Q. S. in aq. ℔. ij.
In Colat. dissol. Sal. Nitri ʒ. j. ad quatuor doses.

Die 30. data sunt Sal. Stib. g̃. iij in aq. ℔. ß. soluta. Quatuor autem horis ab exhibitâ potione Emeticâ, hausit Manna ℥. ij. ß. in jusculo solutas. Ubertim supernè & infernè egessit, symptomataque sedata sunt. Vesperè infusum est Enema simplex.

Die 1. Augusti, parata sunt Apozemata.

℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. & Ceræfol. ana M. j.

Bull. Q. S. in aq. ℔. j.
In Colat. diſſol. Sal. Nitri ʒ. j.
Et dilue Syr. viol. ℥. j. ad duas doſes.

Similia tentata ſunt die proximo. Urinam copiosè & commodè reddidit, nec non laudabiliter dejecit.

Die 4. Catharticum exhibuimus.

℞. Folior oriental. ʒ. j. ß.
Rhei, ʒ. j.
Manna, ℥ ij.
Cremor. Tartari, ʒ. j. in aq. ℔. ß.
f. ſ. a. hauſtus.

Die 7. proſperè cedebant omnia: paratum eſt in proximam diem Catharticum ſequens.

℞. Rhei & Agarici, ana ʒ. j. ß.
Tamarindor. ℥. j.
Bull. Q. S. in aq. ℔. ß.
In Colat. diſſol. Tabellar. Diacarthami, ʒ. ij. f. hauſtus.

OBSERVATIO II.

Die 4. Octobris 1725. vocatus ſum auxilio Dominæ *** annos natæ 34. febre continuâ laborantis. Corpore erat gracili, temperamento ſanguineo, feſtivâ mente: per intervalla cruciabant eam dolores Arthritico-Rheumatici, mox in poplite; mox in malleolis. Miſſus eſt ſanguis è brachio ad ℥. xij. dein, ut naſcens ſudor

excitaretur, exhibita est potio sequens.

℞. Aquar. Card. bened. Meliss. & Buglosf. ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Syr. de v. radic. ℥. j. ad duas doses.

Sudor secutus est copiosissimus. Vesperè immissum est Enema ex emolliente decocto, & Elect. lenit. ℥. j. Noctu dolores acerrimi ægram torsère.

Die 5. admota sunt Cataplasmata ex lacte, micâ panis albissimi, & croco parata. Clysteres immissi fuerunt ex emolliente decocto & Nymphato melle. Remisit febris, mitigati sunt dolores. Verumtamen, ut desideratus revocaretur somnus; julepum sequentem exhibuimus.

℞. Aq. Lactuc. & Nymph. ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ʒ. v. f. julep. pro dosi.

Somno recreata est ægra horis fermè septem continuis.

Die 6. dolores integrascunt, iisdemque Cataplasmatis auferuntur. Immissum est Enema ex emolliente decocto & Mellis mercurial. ℥. iv. Ad vesperum repetita est Diaphoretica potio, tamque prosperè, ut febris ex toto quieverit.

Die 7. Instituta est purgatio.

℞. Rhei electi, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Epsomiens. ʒ. iij. in aq. ℔. ß. f. haustus.


Sufficienti quantitate dejecit ægra, noctuque dormivit placidè.

Die 10. paratum est Catharticum.

℞. Manna ℥. ij.

Syr. de Cichor. comp. ℥. j. in aq. S. Q. pro dosi.

Verùm die 25. Octobris Colici dolores periodicum fluxum prænuntiantes laudatam Dominam tentavêre. Secta est in pede vena, ductusque sanguis ad ℥. xij. Floruit legitimâ quantitate, nullusque posteà Arthriticus dolor convalescentem corripuit.



SECTIO V.

DE COLICO DOLORE.

OBSERVATIO PRIMA.

Die undecimâ Augusti 1723. vocatus sum curaturus mulierem quamdam, annos natam 42. frequentibus nauseabundis conatibus, colicisque doloribus cruciabatur: obtorpescebant artus; febris denique jampridem eam enervabat. Immissus est Clyster ex emollientium decocto, & Mellis mercurialis ℥. iij. Abdomini emollientes herbæ lacte imbutæ admotæ sunt. Medio die ductus sanguis è brachio ad ℥. xij

Die 12. Manè, ſimilis quantitas ſanguinis è ſaphenâ ductâ eſt: eodem declinante die Clyſter injectus eſt ex decocto communi, & mellis Nymphati ℥. iv.

Die 13. immiſſa ſunt Enemata ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℔. ß. in lactis ſerò decoctâ, ad Enemata tria; manè ſcilicet, meridiano tempore & veſperè immittenda. Meliores factæ ſunt res ægrotantis.

Die 14. Sumpſit Tart. Stib. g̃. iij. ſoluta in aq. ℥. vj. Horâ autem decimâ matutinâ, ſolutæ ſunt Manna ℥. ij. ß. in juſculo. Largam illuviei glutinoſæ copiam supernè & infernè deturbaverunt potiones, inſigniterque remiſerunt ſymptomata.

Diebus 15. & 16. liquidam alvum tenuerunt Enemata: dieque 17. Catharticum exhibuimus.

℞. Folior. oriental. & Rhei, ana ℨ. j.
Tabellar. Diacarthami, ℨ. ij.
In aq ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Alvum ubertim & utiliter exoneravit.

Die 20. ægrotanti potiones catharticas faſtidienti, ſequentem maſſam ſub formâ boli vorandam exhibuimus.

℞. Rhei pulver. ℨ. ß.
Pulver. de tribus ℈. j.
Cremor. Tart. ℨ. ß. cum S. Q. Syr. de Cichor. f. M.

Hâc methodo ſanata eſt mulier obeſiſſima, & crudorum humorum pondere obruta.

OB-

OBSERVATIO II.

DIe 18. Junii 1724. nobilis filia Domini *** annos nata 18. ventris torminibus cruciata, summo manè salutiferam medentis alicujus opem efflagitavit. Vocatus ego, pulsum tetigi durum, turgidum; corpus universum torpebat; difficilis premebat anhelitus: aderant nauseabundi conatus, orisque amarities. Porrò desiderabantur Catamenia, quæ sex abhinc hebdomadis non fluxerant. Temperamentum erat bilioso-sanguineum, festiva mens & fervida, corpus gracile. Illicò secta est vena in pede, missusque sanguis ad ℥. xij. Ad vesperum immissa sunt Enemata duo ex fol. Maluæ, mercurial. & semine Fœniculi, additis colaturæ, Mellis de mercuriali ℥. iij. Mitigatus est dolor: ubertim soluta est alvus. Horâ autem nonâ vespertinâ, molesta stillantibus ex utero cruentatis guttulis; non cruentis, parata est potio sequens.

℞. Aquar. Meliss. Artemis. & Card. bened. ana ℥. j.
Confect. de Hyacint. ʒ. j.
Sal. Absynth. ℈. ij.
Syr. de Artemis. ℥. j. f. p. Cochleatim alternis horis exhib.

Potus instituatur ex foliorum Absynhtii

infusione, in quâ colatâ mali aurei (gallicè *bigarade*) succus exprimatur.

Die 19. laudabili quantitate fluxerunt menstrua, unumque ex preminentibus anteà symptomatis aderat, durities nempè abdominis subdolorifica. Admotæ sunt igitur emollientes herbæ; Clysterque sub vesperum immissus ex earumdem decocto.

Verùm solitâ quantitate expurgato utera, subsecuta est oris amarities; pondus in ventriculo, dolor renes præcingens, intercurrentibus nauseis. Purgationem ergo die 27. instituimus.

℞. Siliq. Ægypt contus. ℥. iv.
Bull. in aq. ℔. j. ß. ad tres doses.
In primâ dissol. Sal. Stib. g̃. iij.
In secundâ Mellis aërei, ℥. ij.
In ultimâ, Sal. Glauber, ʒ. j.
Tertiâ quâque horâ dosis exhibeatur, hausto inter quamlibet jusculo.

Votis satisfecêre potiones.

Die ultimâ Junii, ultimam exhibuimus purgantem misturam.

℞. Rhei, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Absynth. ʒ. j. in aq. ℥. vj. pro dosi.

Prosperrimè gesta sunt omnia. Attamen ut depravati superstites auferrentur stabulantes in ventriculo succi, atque ciborum adduceretur appetentia: præscripsi Rhei pulv. g̃. xv. quotidiè horâ prandii in juru-

lenti panis Cochleari ſumenda, diebus ſcilicet duodecim continuis. Fecit quod juſſi, perfectamque ſanitatem adepta eſt.

OBSERVATIO III.

DIe 2. Februarii 1725. ſervus Domini *** Equitis, atrociſſimis inteſtinorum doloribus, ſpirandi difficultate fuit excruciatus, æſtu febreque jactatus, conatibus nauſeabundis laceſſitus. Tumebat venter, turgebat arteria, tangentis digitos obſcurè frequenterque feriens. Tales autem colicos dolores pati conſueverat ter quaterve in anno: quibus olim ſanandis phlebotomiam in brachio, largamque Olei amygd. dulc. quantitatem oppoſuerat Collega quidam clariſſimus. Ponderatis ergo ponderandis, ſta im è brachio ductæ ſunt ℥. ſanguinis xij. Medio die Clyſter injectus eſt ex communi decocto, & Nymphati Mellis ℥. iv. Abdomini emollientes herbæ admotæ ſunt. Sub veſperum, miſſus eſt è ſaphenâ ſanguis ad pondus ℔. j.

Notandum venit, quod dictus vir Βουβωνοκήλη, ſeu herniâ inguinali laboraret.

Die 3. dolores ſimiliter ſæviebant. Immiſſum eſt Enema manè, ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. alterum veſperi ex emolliente decocto, Cryſtall. miner. ℥. j. ß. &

Mellis Nymphati ℨ. iij. Alvus ubertim laxata est, detumuit venter; sedati sunt dolores. Ptisana parata est pro potu, ex decocto gramin. fragariæ, & semin. Lini.

Die 4. ægrotantem tentavêre colici dolores febriculâ stipati. Denuò missæ sunt è saphenâ ℨ. sanguinis xij. remisêre tormina. Sub vesperum, largè ventrem expurgavit Enema ex emolliente decocto & Elect. lenit. ℨ. j. Horâ autem decimâ serotinâ omnem doloris sensum amovit Enema.

℞. Decocti ex fol. verbasci (*Bouillon blanc*) & semine Lini parati, S. Q.
Phylonii Romani, ℨ. j. ß. f. Enema.

Somno recreatus est hor. circiter sex.

Die 5. manè, jam de nullis intestinorum, sed de acerrimis ventriculi torminibus conquerebatur æger, frequentibusque tentabatur nauseis, quæ omnia compescuit hæc potio.

℞. Aquar. Meliss. Bugloss. Borrag. ana ℨ. j. ß.
Confect. Alkerm. & Theriac. ana ʒ. j. aq. Naphæ ℨ. j.
Syr. de Absynth. ℨ. j. ß. f. p. Cochleatim exhib.

Die 7. purgatus est.

℞. Mellis aërei, ℨ. ij. ß.
Dissol. in aq. ℔. ß.
In colat. dilue Ol. amygd. dulc. ℨ. ij. f. haustus.

Abundè dejecit, nec quidquam mali percepit.

Die 8. Reposito sive reducto intestino, fascinâque (*Brayer*) contento, Catharticum die sequente sumendum præscripsi.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. Q. S. in aq. ℔. j. f. colat. ad duas doses.
In priore dissol. Mellis aërei, ℥. ij.
In alterâ Sal. Stib. g̃. iij.
Posterior dosis horis tribus ad exhibitâ priore sumatur: jusculo intermedio.

Copiosam colluviem vomitu & secessu reddidit, nullosque dolores percepit. Serotinis autem horis julepum exhausit.

℞. Aquar. Lactucæ & Nymphææ, ana ℥. j. ß.
Syr. Nymphati & Diacod. ana ℥. ß. f. jul.

Die 12. solutæ sunt Mellis aërei ℥. ij ß. in jusculo. Porrò sanatum monui virum, ut unoquoque mense Catharticum sumeret, temperatam teneret diætam, pulvereque sequenti uteretur.

℞. Semin. Coriandri, ℥. ß.
Anisi, ʒ. ij.
Semin. Citri, Corall. ppt. Santali Citrini, Macis & Nucis Moschatæ, ana ʒ. j.
Caryophyllor. ℈. ij.
Semin. Anethi, ℈. j.

Sacchari Cand. ℥. xij.

Contund. omnia in mortario & per bombycinum cribrum trajiciantur. Dosis ʒ. ß. in vini Burgundi Cochleari, post prandium, tantumdemque post cœnam.

Toto hujus anni decursu, ne levissimo quidem colicorum dolorum sensu molestatus est.

OBSERVATIO IV.

DIe 23. Maii 1726. colicis doloribus atrocissimis in ventriculo & intestinis cruciatus est Rhedarius Domini *** annos natus 37. Febris ardebat, algebant extrema; nauseis frequentibus & desidendi conatibus molestabatur. Quò natura vergebat eò ducta est.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. Q. S. in aq. ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
F. colat. in quâ dissol. Sal. Stib. g̃. iv. ad duas doses: jusculo intermedio.

Uberrima tùm per vomitum, tùm per secessum biliosa colluvies prorupit; melioribus ægri rebus factis. Ad vesperum defessæ partes amico recreatæ sunt somno.

℞. Aq. Lactucæ & Nymphææ, ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ʒ. vj. f. jul.

Die 24. immissa sunt Enemata ex emolliente decocto, & Nymphato Melle. Attamen, ut ventriculi fibræ à vomitu lacessitæ firmarentur, sequentem præscripsi potionem.

℞. Aquar. Meliss. Bugloss. & Borrag. ana ℥. j.
Confect. Alkerm. ʒ. j.
Aq. Theriacal. ʒ. j. ß.
Syr. de Absynth. ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Die 25. Catharticum exhibuimus.

℞. Follic. Senn. ʒ. ij.
Rhei, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ʒ. j. in aq. ℥. vj. f. s. a. haustus.

Die 26. Clysteres duo totum opus curatorium absolvêre; ita ut die 29. Rhedarius ille Dominum suum curru convexerit.


Annotationes Practicæ.

1. Diximus observatione primâ, unam in pede venæ sectionem fuisse celebratam, unâ tantùm in brachio præmissâ: ibi verò agitur de muliere cujus artuum torpor soporiferum minitans affectum, & colici dolores à catameniis ad superiora exundantibus & imminutis oriebantur. Similem causam agnoscebat observatio secunda, de virgine cujus universum torpebat corpus, & menstrua sex abhinc heb-

domadis aberant. Semel enim apertâ ſaphenâ, ſtillavit ex utero ſanguis; dieque proximè ſecutâ, cum ægrotantis inſigni levamine floruit.

2. In tertio caſu, minimè fuiſſet è ſaphenâ mittendus ſanguis, niſi æſtu febrique minitantibus, & ſymptomatis à ſectâ priùs in brachio venâ ſævientibus, ad alterius ſpeciei phlebotomiam nos impuliſſet neceſſitas. Non enim ibi medendi norma datur, quâ ſemper talia gerantur; ſed exceptio, in quâ ſcilicet ſanguis præ nimia viſciditate, ſtaſibuſque multiplicatis, variatâ ſui exinanitione indiget.

3. Obſervandum inſuper, de herniâ quidem inguinali ſermonem haberi; de illâ verò ſiluerat æger ad diem uſque februarii octavam, quâ ſtatim reductum eſt inteſtinum: huic enim tanquam præcipuæ morbi cauſæ citius fuiſſet conſultum.



SECTIO VI.

DE CONVULSIONIBUS.

OBSERVATIO I.

DIe 17. Martii 1721. evocatus ſum ad Cubicularem Ancillam Dominæ *** annos natam 26. Quatuor abhinc menſibus catamenia deſiderabatur. Suffo-

cari se jamdudùm clamabat: intumescentem ventriculum conquerebatur; doloribus renes præcingentibus, intestinorumque torminibus immaniter cruciabatur; incerti & caligine obducti errabant oculi; hæcque omnia frequenter recurrebant. Porrò die dictâ 17. horâ post meridiem 2. convulsionibus hystericis Ancilla illa horrendum in modum fuit correpta. Pulsum tetigi durum quidem, sed legitimè pulsantem, ordinatum, sanorum ad instar, sævientibus etiam convulsivis motibus. Illicò ductæ sunt è saphenâ ℥. sanguinis xij. dein immissum est Enema ex folior. Artemis. & Mercurialis decocto, additis Mellis de Mercuriali ℥. iv. pari passu soluta sunt Sal. Stib. g̃. iv. in aq. ℔. ß. ad duas doses, tribus interpositis horis exhib. Votis satisfecêre remedia. Ventriculus glutinosam illuviem emisit vomitu; largè subducta est alvus. Convulsiones autem intermisêre horâ undecimâ serotinâ, quâ, laudabili quantitate & colore floruit uterus.

Die 18. Roseus ille fluor constitit, impetusque convulsionum rursùm ortus & adauctus est. Secta est iterùm saphena: potionemque Cochleatim potitandam præscripsi.

℞ Aquar. Meliss. Artemis & Matricar. ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j.
Tart. Stib. g̃. iv.

Die

Syr. de Artemis, ℥. j. f. p.

Copiosa prorupit biliosæ colluviei excretio, quam paulò post secutus est fluxus menstruorum expectatus.

Diebus 19. & 20. siluimus, agentemque pro votis naturam contemplati sumus; non omissis tamen Clysteribus ex emolliente decocto & Melle Mercuriali. Ptisana fuit decoctum radic. gramin. asparagi & fœnic.

Ubi verò post legitimum temporis intervallum substitêre catamenia, Catharticum exhibuimus.

℞. Folior. oriental. Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de v. radicib. ℥. j. in aq. ℔. ß. pro dosi s. a. parandâ.

Copiosa dejectio purgans haustum subsecuta est, & ex memoratis symptomatis nullum remansit.

Duobus elapsis diebus, ultimò purgavimus convalescentem.

℞. Folior. oriental. ʒ. ij.
Tamarindor. ℥. j.
Crystall. miner. ʒ. j. ß. in S. Q. aq. pro dosi.

Eam tamen monui, ut mense solido sumeret unoquoque die jejuno ventriculo, & horis duabus post prandium, ℥ circiter vj. infusi ex baccis Juniperi & Saccharo parati.

OBSERVATIO II.

DIe 30. Aprilis 1724. vidi filiam nobilissimi Comitis * * * annos natam quatuor, plurimis jam ab hebdomadis, convulsivis motibus ex intervallo cruciabatur, quibus accessit tandem continua febris, inflammatoriâ ventris tensione, frequentibusque dejectionibus stipata. Pulsus exilis erat & subindè intermittens. Quapropter spretâ venæ sectione, immissum est Enema ex sero lactis paratum: abdomini emollientes herbæ leviter in aquâ decoctæ, dein expressæ & lacte calenti imbutæ, admotæ sunt. Cyathim quoque alternis horis potionem Catharticam exhibuimus.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv.
Bull. Q. S. in seri lactis ℔. j.
F. Colat. in quatuor doses distrib.

Ubertim per alvum biliosa defluxit illuvies.

Die 1. Maii, soluta est Manna ℥. j. in aq. ℥. iv. In colat. diluta est Ol. amygd. dulc. ℥. j. Sub vesperum, injectus est Clyster ex aquâ fluviatili solâ.

Die 2. prementibus per intervalla nauseis, parata est mistura sequens.

℞. Sal. Stib. & Kerm. miner. ana g̃. j.
In vini Cochlear. ij. f. duæ doses, tri-

bus interpositis horis exhib. jusculo intermedio.

Duabus autem horis ab assumptâ 2. dosi, sumat infans Mellis aërei ℥. j. in jusculo solutam.

Parùm per superiora, uberrimè verò per alvum egessit. Cessaverunt nauseabundi conatus; remisit febris, cæteraque terrifica fugata sunt symptomata.

Diebus 3. & 4. immissa sunt Enemata simplicia.

Die 5. Catharticum præscripsi.

℞. Cass. cum Siliq. contus. ℥. ij.
Bull. in S. Q. aq.
Adde Mellis aërei, ℥. j. f. s. a. p. lax. ad duas doses.

Præclarè res gestæ sunt. Verumtamen Cyathim ter unoquoque die decoctum febrifugum exhibendum designavi.

℞. Cortic. Peruvian. contus. ℥. vj.
Bull. Q. S. in ℔. ij. f. Colat. ad sex doses.

OBSERVATIO III.

DIe 10. Novembris 1725. filia Domini *** annos nata 27. convulsionibus hystericis jam pridem lacessita, meum inclamavit auxilium. Strangulatum patiebatur; apertis & errantibus oculis quærebat lucem; venter erat durissimus & pertumidus; ipsa etiam jjuscula, quamquam

folâ forbitione jamdiu vixiſſet, plerumque vomitu emittebantur; pulſus erat plenus, profundus, celer. Menſtrua imminebant. Ægrotans autem erat ſtaturâ brevis, obeſa, mentem tacitis cogitationibus ut plurimùm volutans; his denique recenſitis non rarò tentata malis. Illicò miſſus eſt ſanguis è ſaphenâ, ad pondus ℔. j. potionemque ſequentem Cochleatim potitavit.

℞. Aq. Meliſſ. Artemis, & flor. Tiliæ, ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. & Sal. de Artemis, ana ʒ. j.
Aq. Theriacal. ʒ. ij.
Syr. de Abſynth. & aq. Naphæ, ana ℥. j. f. p.

Veſperè injectus eſt Clyſter ex decocto folior. Verbaſci, ſeminis Lini, & Mellis Mercurialis ℥. tribus. Dolores convulſioneſque paululùm quieverunt.

Die undecimo, relata ſæviêre ſymptomata, quibus ut occureretur, rursùm aperta eſt ſaphena ad detracti ſanguinis ℥. xij. Dein præ tumido & diſtento abdomini emollientium herbarum pulpam lacte imbutam admovimus. Ex decocti autem S. Q. & Mellis Nymphati ℥. iv paratum eſt Enema veſperè immiſſum. Nox placida fuit.

Die 12. quantitate exiguâ, ſed ſine dolore floruit uterus. Emollientem tenuimus

viam, Clyster injectus est ex descripto decocto & Mellis de Mercuriali ℥. iij.

Die 13. periodicus perseveravit fluxus, doloribus paucis ægra tentata est: reliqua verò tam ex parte visûs quàm respirationis, legitimè laudabiliterque gesta sunt. Nil novi factum est.

Diebus 14. 15. 16. immissa sunt Enemata emollientia. In diem autem 17. parata est mistura laxans:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Absynth. ʒ. j.
Syr. de v. radicib. ʒ. vj. in aq. ℔. ß.
f. s. a. haustus.

Largè subducta est alvus; detumuit abdomen, nullisque convulsionibus tentata est ægra.

Die 20. venter mox tumebat, moxque detumescebat; alvus erat contracta: liquidum laxans fastidienti ægræ bolum exhibuimus:

℞. Rhei pulv. ℈. j.
Mechoacann. pulver. g̃. xxx.
Cum S. Q. Syr. de Rhamno, f. bol. quotidiè vorandus, donec prohibeatur.

Verùm exiguâ quantitate alvum subduxit bolus, quem efficaciorem sic reddidimus.

℞. Rhei & Mechoacann. pulv. ana ℈. j.

Jalap. g̃. xv.
Diacryd. g̃. vj.
Cremor. Tart. ʒ. ß.
Cum S. Q. Medull. Caſſ. mund. f. maſſa ſub formâ boli, tertio quoque die voranda, donec prohibeatur.

Confirmatam ſanitatem intrà paucos dies adepta eſt.

OBSERVATIO IV.

DIE 12. Maii 1726. mulier quædam annos nata 23. fœtum trimeſtrem utero gerens accerſivit me. Sorex in ſubuculæ manicam ex improviſo ſubrepſerat, ingentem timorem prægnanti incuſſerat. Eam ſubitò defecerat anima, quam ubi recepit, & ſuffocari ſe clamavit, in quantum clamare vires ſinebant. Delirio vexatur ægra; totius corporis convulſionibus jactatur anhela: hanc tandem effera febris urget. Corpore erat quadrato, obeſo. Statim, me jubente, mittuntur ℥ ſanguinis xij. è ſaphenâ, ſequentem potionem Cochleatim potitandam præſcribo.

℞. Aq. Meliſſ. Betonic. & flor. Tiliæ, ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j. Eſſent. Caſtor. gutt. x.
Aq. Naphæ, & Syr. de tunicâ, ana ℥. j. f. p.

Sub vesperum, injectum est Enema ex furfuris decocto, & Nymphato Melle.

Die 13. mitigata symptomata rursùm sævière; rursùm quoque saphena secta est: Enema vesperè injectum est priori simillimum.

Die 14. Coactam alvum, pro votis subduxit Cathartica potio:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. ß. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Ad statum fermè naturalem rediit ægra. Nil novi tentavimus.

Die 16. solutæ sunt Manna ℥. ij. ß. in jusculo: mirantibusque consanguineis citissimè convaluit ægra, quæ quidem nono mense graviditatis exacto, feliciter peperit.

OBSERVATIO V.

DIE 19. Maii 1725. vocatus sum auxiliaturus filio nobilis viri Domini *** annos nato tres. Tot tantisque convulsionibus cruciabatur, ut in extremâ vitæ luctâ versari crederetur: pulsus erat intermittens, convulsivus: abdomen tumidum, alvus adstricta. Parata est potio sequens:

℞. Aq. Meliss. & flor. Tiliæ, ana ℥. ij.
Confect. de Hyacint. ʒ. j.

Castor. g̃. v.

Syr. de tunicâ, ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Prætereà:

℞. Decocti emollient. S. Q.

Adde Medull. Cass. mund. ℥. ß. f.

Enema illicò immittendum.

Tertiâ verò quâque horâ Clyster infundatur ex aquâ fluviali solâ.

Similia facta sunt die 20. Detumuit venter, alvus fuit libera; paucæ convulsiones infantem tentavêre.

Die 21. Catharticum exhibuimus:

℞. Mellis aërei, & Syr. de Cichor. comp. ana ℥. j.

In decocti de Cichor. parati S. Q. f. haustus.

Die 23. ut vermiculosa materies, quam suspicabar, per alvum protruderetur, sequentem designavi pulverem:

℞. Rhei Electi & seminis Portulacæ, ana g̃. xi.

F. pulvis in ovo sorbili exhib.

Pulverem sumpsit infans ad diem usque 26. quâ quidem tœnia pedalis cum dejectionibus eliminata est.

Die 27. ultimum hausit Catharticum:

℞. Rhei, ℈. j.

Mellis aërei, ℥. j. ß.

Sal. de Absynth. g̃. xv. in s. q. aq. f. haustus.



SECTIO VII.

DE DYSENTERIA.

OBSERVATIO PRIMA.

DIE 1. Januarii 1724. curavi Dominam *** annos natam 75. Inteſtinorum torminibus, frequenti, paucâ, cruentâque dejectione ſtipatis excruciatam. Febris ardebat; cum duritie tumebat venter, cibique faſtidium aderat non mediocre. Porrò vires erant exhauſtæ. Immiſſa ſunt Enemata ex folior. Verbaſci, radic. Althææ, & ſemin. Lini decocto, in quo ſoluta eſt candela ſebata. Pro potu ſumpſit ptiſanam ex decocto radic. graminis & orizæ nodulo incluſæ.

Die 2. Catharticam hauſit potionem:

♃. Mellis aërei & Catholic. duplic. ana ℥. j.
In aq. Plantag. ℥. vj. f. ſ. a. hauſtus.

Ad veſperum Clyſter injectus eſt ſupradictis ſimillimus. Alvum laudabiliter exoneravit; detumuit venter.

Die 3. immiſſa ſunt Enemata prioribus ſimilia; dieque proximo Catharticum exhibuimus;

♃. Catholic. duplic. ℥. j. in aq. Cyatho f. hauſtus.

Die 5. Repetita sunt Enemata : sub vesperum autem Julepum horâ somni sumendum præscripsi :

℞. Aq. Lactucæ & Plantag. ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥. vj. f. jul.

Legitimæ dejectiones factæ sunt, dolore tamen quodam concomitante. Injecti sunt Clysteres ex viscerum vituli decocto.

Die 7. purgationem instituimus :

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Ol. amygd. dulc. ℥. j. ß. in aq. Plantag. ℥. vj. f. haustus.

Prosperrimè gesta sunt omnia, Catharticam potionem ultimò præscripsi die 10. non omissis ad hanc usque diem emollientibus Clysteribus :

℞. Tamarindor. ℥. j.
Bull. Q. S. in aq. ℔. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij.
In colat. dissol. Sal. veget. ʒ. j. f. haustus.

OBSERVATIO II.

DIE 24. Julii 1726. citatim accersivit me nobilis Domina *** annos nata 75. Dysenteriâ laborans decem abhinc diebus. Febris exacerbationibus quotidianis stipata proximum minabatur periculum ; dolorificus tumebat venter, oculi scintillabant, delirium ex intervallo recurrebat, frequentes & laboriosi desiden-

conatus ægrotantem lacessebant. Pulsus erat non solùm intermittens (qualis hâc ætate plerumque percipi solet) sed & convulsivus, frequens, durus, profundus. Temperamentum verò sanguineum, gracile corpus, fervida mens. Secta semel fuerat vena in brachio, stolidisque circumforanci cujusdam promissis innixa; acutissimi morbi confidenter ad hunc usque diem expectaverat exitum. Denuò missus est sanguis è brachio ad pondus ℥. xij. dein Enemata quartâ quâque horâ esse infundenda judicavi, eaque ex decocto folior. Verbasci, radic. Althææ & semin. Lini parata; ptisanam verò ex decocto radic. gramin. Consolid. major. & orizæ; additâ cornu Cervi & Eboris rasurâ.

Die 25. frequentius delirium fugavit saphenæ sectio facta ad detracti sanguinis fermè libram. Statimque tumido ventri admotæ sunt emollientes herbæ decoctæ & contusæ. Sub vesperum, injectus est Clyster ex earumdem decocto. Detumuit abdomen; mitigati sunt dolores, paucus accessit somnus.

Die 26. ut intestina lacessita, leniente & unctorio liquore proluerentur & lævigarentur; immissa sunt manè & vesperè Enemata ex decocto viscerum vituli, solvendo insuper semel in die, in eodem decocto sevi mediocrem quantitatem. Similiter actum est die 27.

Die 28. dejectiones non cruentatæ, sed frequentiores fuêre; Clysteres immissi sunt ex solo vitulinorum viscerum decocto. Catharticam potionem die proximo sumendam designavi:

℞. Manna, ℥. ij.
Catholic. duplic. ℥. ß.
In aq. Plantag. ℥. vj. f. s. a. haustus.

Sub vesperum, somniferam dosim, eamque subadstringentem exhibuimus:

℞. Aquar. Plantag. & Centinod. ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥. vj. f jul.

Die 30. alvo pertinaciter fluenti consuluimus:

℞. Radic. Brasiliens. pulver. g̃. xv.
Cum S. Q. Diascord. f. bol.

Hic quidem vomitum mediocrem proritavit, dejectionesque paucas adduxit. In ptisanæ ℔. iij. diluta est Syr. granator. ℥. j. ß. Nocte secutâ, ne semel quidem dejecit ægrotans.

Die 1. Augusti, tenerrima facta est alvus: ad bolum manè, & julepum vesperi confugimus. Sedata sunt symptomata.

Die 3. à morbo convaluit: attamen consilium dedi, ut unoquoque mane, bolum sumeret ex Catholic. duplic. ʒ. ij. Monito fideliter obtemperavit, usque ad diem 10. quo, me monente, à bolis abstinuit. Largiorem victum concessi, eamque hortatus sum, ut quotidiè sumeret extracti

Juniperini ℨ. j. vel ſub formâ boli, vel in ptiſanæ Cyatho. Inſuper altero quoque die Clyſterem ſibi ſineret infundi ex folior. Verbaſci decocto.

OBSERVATIO III.

DIE 18. Februarii 1728. meam inclamavit opem nobilis Domina *** annos nata 72. ſequentibus cruciata ſymptomatis. A Diarrhæâ ſex abhinc menſibus atrociter perſeverante, Dyſenteria tandem fuerat ſuborta: febris, ſpirandi difficultate & capitis vertiginibus ſtipata, puris per alvum excluſio, cum ventris torminibus: turpis denique macies univerſum corpus occupabat. Temperamentum gerebat ſanguineo-bilioſum; mentem hilarem & fervidam. Statim igitur ut Metaſtaſi ad Pulmones ruenti conſulerem, ſecta eſt vena in cubito; tuſſi quoque frequenti conſultum eſt:

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Adde Syr. Alth. & diacod. ana ℨ. vj.
F. p. Cochleatim potitanda.

Veſperaſcente die, immiſſum eſt Enema ex folior. Verbaſci & radicis Althææ decocto.

Die 19. manè, rursùm è brachio ductæ ſunt ℨ. ſanguinis xij. hic quidem inflam-

matorius ſimiliter viſus eſt, ac qui pridiè fuerat eductus : ptiſana verò parata ex radic. Althææ, Conſolid. major. & ſemin. Lini in infuſo. Clyſter priori ſimillimus injectus.

Die 20. memorata remiſêre ſymptomata, ſequentem exhibuimus potionem :

♃. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amyd. dulc. ℥. ij.
In aq. ℥. vj. f. hauſtus.

Expectationi reſpondit Catharticum.

Die 21. Sedatis ſymptomatis Pulmones laceſſentibus, omnem curam eo dirigendam judicavi, ut ſpeciatim purulento-cruentatis dejectionibus providerem. Potum ordinarium inſtitui ex ſupradicto decocto, capite papaveris addito. Enemata aſſiduè immiſſa ſunt : interdum purgationem ex Catholic. duplic. præſcripſi in aq. Plantag. Dyſentericus equidem fluxus quievit; aſt fuit pertinax ſævienſque Diarrhæa. Quapropter Theriacam adhibui; maſſam pilular. de Cynogloſ. lac aſininum, caprinum : cuncta variis temporibus Enemata ex adſtringentibus, cum Therebinthinâ ovi vitello ſoluta, julepos narcoticos, Rheum toſtum, modò cibos incraſſantes, modò tenuem, modò ampliorem diætam. Omnia denique tentavi quæ tutam valerent afferre curam. Malum mitigavi, non ſanavi : nam menſe Junio rurſùm ſævîere ſymptomata, quæ venæ ſe-

ctione, *minorativis* potionibus, radic. Brasiliensi, & Enematis fugata sunt; meliùs dicam suspensa. Mense etenim Septembri ejusdem anni, ut lento gradu redeuntibus denuò accidentibus medelam afferret ægra; me inconsulto, lac vaccinum recens extractum & crudum quotidiè jejuno ventriculo sumpsit, citòque recidit in morbum, quem radicitùs evulserunt aquæ *forgenses* pro potu ordinario haustæ, & bolus ex Theriacæ veteris g̃. xx. quotidiè voratus.

OBSERVATIO IV.

DIE decimo Augusti 1728. meam inclamavit opem Dominus *** annos natus 42 diebus abhinc quindecim Dysenteriâ laborans. Ter ei secta fuerat vena in brachio, variaque remedia Chirurgus dexterrimus tentaverat. Frequentes aderant desidendi conatus, dira ventris tormina, febris ingens, vires exhaustæ. Temperamentum biliosum, morosa mens sed fervida, corpus gracile. Clysteres immissi sunt ex folior. Verbasci. Lactucæ & semin. Lini decocto. Ptisana ex radic. Gramin. Consolid. Major. & Orizâ.

Die 11. Sumpsit æger Ol. amygd. dulc. ℥. ix. in tres doses distrib. tres scilicet, tertiâ quâque horâ, jusculis intermediis. Ubertim

Ubertim & faciliùs dejecit. Immissum est Enema declinante die, prioribus simillimum.

Die 12. ut ab amico stimulante fibrarum legitimus elater revocaretur, peccans humorum illuvies, alimentorum coctioni noxia proturbaretur, tres præscripsi doses, unamquamque scilicet ex rad. Brasiliens. pulver. ℈. ij. in vini Alonensis (vulgò *Alicante*) Cochleari, tribus horis interpositis, intermedio jusculo. Sub vesperum immissus est Clyster ex fol. Verbasci, radic. Althææ, Consolid. Major. sem. Lini & cap. Papaver. Ubertim supernè & infernè exinanivit, salvis viribus. Nox autem placida fuit.

Die 13. tres dicti pulveris doses exhibuimus, singulam ad pondus ℈. j. in Theriacæ. ℈. v. paribus intervallis. Quantitate laudabili subducta est alvus; dejectiones tantillùm cruentatæ visæ sunt: Enema ex emolliente decocto & Therebentinâ ovi vitello solutâ ad pondus ʒ. j. ß. infusum est.

Die 14. rediit aliquota cibi cupido: diæta tamen tenuis fuit, solâ siquidem sorbitione vixit æger. Brasiliensi pulvere usus est sicuti die 13. quantitate & qualitate legitimis dejecit. In proximum verò diem Catharticam potionem præscripsi:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Dissol. in aq. Plantag. ℥. vj.


E

In colat. dilue Ol. amygd. dulc. ℥. ij.
f. hauſtus.

Horâ ſomni julepus datus eſt, die ſcilicet 15.

℞. Aq. Lactucæ & Plantag. ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥. vj. f. jul.

Die 17. lacte vaccino uſus eſt bis in die: primo ſcilicet diluculo, & horâ decimâ ſerotinâ. In ſingulæ doſis Cochleari ſumpſit Lapid. hæmatit. pulver. g̃. vj. amplior ſed ſimplex fuit deinceps victus. Eidem inhæſimus viæ ad diem uſque Septembris nonum; quo quidem Catharticum dedimus ex Mellis aërei & Catholic. dupl. ana ℥. j. paratum; ut recuperata ſanitas, aſinino lacte firmaretur. Menſe itaque ſolido dictum lac aſininum ſumpſit, nec exindè leviſſimâ morbi labe tentatus eſt.



SECTIO VIII.

DE ERYSIPELATE.

OBSERVATIO I.

DIE 18. Decembris 1725. accerſivit me nobilis vir Dominus *** in Supremo Senatu Patronus, annos natus 43. Temperamentum gerebat ſanguineo-bilioſum; quadratum corpus, mentem feſtivam. Eryſipelatoſo tumore veſiculas effor-

mante, flavescentemque colorem exhibente, tota facies erat conspurcata: imò & oculi ipsi insigniter inflammati, dictis vesiculis palpebras distendentibus, erant fermè clausi & quasi conglutinati. Pulsus erat durus, plenus, profundus, frequens; corpus aggravatum, somnus exiguus & difficilis, appetitus prostratus; remanente tamen solitâ vini cupidine. Alvus autem adstricta. Jam solidus mensis abierat, ex quo morbus ceperat exordium, ac in dies increbruerat, ob iniquam circulatoris cujusdam methodum, qui post unam venæ sectionem in brachio celebratam, ad Cathartica temerè præscripta, & inordinatè conjuncta pluries confugerat. Vena, me præsente, aperitur in brachio, sanguinisque ℔. j. educitur. Declinante in vesperum die, Clyster ex emolliente decocto & Elect. lenit. ℥. j. immittitur. Ptisana ex radic. Gramin. & Orizâ paratur. Ut autem salium in sanguine redundantium acumina obtunderentur, urinæque facilè moverentur, sequentes Emulsiones Cyathim per intervalla exhibendas præscripsi:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. ß.
Semin. Papaver. albi, ℥. j.
Amygd. dulc. excortic. N. vj.
Contund. in mortar. marmor. sensim affund. seri lactis ℔. ij.
Colaturæ adde Syr. Nymphati ℥. j. f. Emuls.

Similia facta sunt die proximè secutâ, etiam quoad sanguinis è brachio missionem.

Die 20. Pulsus erat explicatus, evolutus, elatus; somnus ipse per horas circiter quinque accesserat, ægroque à naturâ somniculoso, & altè ronchissanti, non mediocre levamen attulerat: alvus legitimè ac laudabiliter liquescebat. Immissi sunt Clysteres emollientes: repetitæ fuerunt Emulsiones, parata est mistura sequens quâ partes affectæ frequenter foverentur:

℞. Flor. Sambuc. p. j.
Radic. Althææ, ℥. j.
Bull. leviter in aq. ℔. ij.
In colat. adde aq. vitæ ℥. iij.

Hæc assiduè facta sunt ad diem usquê primam Januari, quibus tamen saphenæ sectionem adjungendam sæpè proposui, sed frustrà: porrò mitigata sunt symptomata, non autem sublata; ardor siquidem & prurigo perseverarunt, liquoremque serososalsum erysipelatosus continuò fundebat tumor. Pro potu ordinario decoctum sequens exhibuimus:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. & Nasturt. aquat. ana M. j.
Fumariæ, p. j.
Bull. leviter in aq. ℔. iv. f. colat. sine expressione.

Die igitur Januarii primâ, missus est sanguis è saphenâ ad pondus ℔. j. proxi-

mamque noctem placidus comitatus est somnus, ab horâ scilicet undecimâ serotinâ ad quintam matutinam.

Die 2. anni 1726. omnia in meliùs devenêre, ita ut quam suprà silui auditûs difficultatem, ea fuerit penitùs sublata. Similes faciei fotus admoti sunt, non omissis Clysteribus.

Die 4. purgationem tutò exhibuimus:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Tamarindor. ℥ j.
Mellis aërei, ℥. ij.
In seri lactis ℔. j. f. s. a. p. lax. ad duas doses, tribus interjectis horis exhibendas, jusculo intermedio.

Copiosæ dejectiones ægrum insigniter allevavêre, imò & ad lucem nocte proximâ dormivit.

Die 6. tam fausto cursu res ferebantur, ut surdaster non esset æger, paucaque remaneret affectûs erysipelatosi labes. Institutum est ex aquâ balneum, in quo quotidiè permansit æger hor. 2. jusculumque assiduò sumpsit ex pullo gallinaceo & seminibus iv. frigid. Balneo autem usus est semel in die, usque ad 24. Januarii. Attamen tres Catharticæ potiones administratæ sunt. Prima scilicet die mensis ejusdem 12. Secunda die 18. Ultima die 25. Fuit hæc prior:

℞. Follic Senn. & Agarici, ana ʒ. j. ß.
Mellis aërei, ℥. ij.

Syr. de Cichor. comp. ℥. j. in aq. Cyatho f. ſ. a. hauſtus.

Secunda verò:

℞ Rhei, ʒ. j.
Caſſ. cum Fiſtul. contuſ. ℥. iv.
Sal. Epſomienſ. ʒ. iij. in aq. ℔. ß. pro doſi f. a. parandâ.

Tertia denique:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Diſſol. in aq. ℔. ß.
In colat. diſſol. Tabellar. Diacarthami minutatim inciſ. ʒ. iij. pro doſi.

His itaque ductus auxiliis, ad firmam ſanitatem venit, qui inanibus circumforanei promiſſis fuerat illuſus.

OBSERVATIO II.

DIE 28. Aprilis 1729. vocatus ſum auxilio Domini *** annos nati 49. Eryſipelate lichenoſo (gallicè *Ereſipele dartreux*) laborantis. Hunc inſuper ſtupor identidem occupabat, oculorumque tanta caligatio, ut obvium quodcumque cogeretur arripere vacillans, ne in cubiculo, vel vicis caderet: ſurdaſter quoque, ſiniſtrâ præſertim aure, duobus jam abhinc annis, erat; imò & ex eâ liquor purulentus interdùm defluebat. Eryſipelatoſus denique affectus univerſum corpus, faciem præſertim deturpabat. His porrò ſympto-

matibus atrocitatem & incrementum quotannis addere videbatur verna tempestas. Temperamentum erat maximè biliosum, corpus gracile, morosa mens sed fervida. A venæ sectione in brachio curam aggressus sum; postque 24. horas missus est è saphenâ sanguis ad ℔. j. ut sanguinis ad superiora ruentis motus temperaretur. Pro potu ordinario præscripsi decoctum pulli gallinacei & semin. iv. frigid. Tenuem diætam instituì, solâque sorbitione vixit æger.

Die 1. Maii, Catharticum exhibuimus:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℔. ß.
Bull. q. s. in seri lactis ℔. j. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In colat. dilue Syr. de pomis comp. ℥. j.
F. p. lax. in tres doses distrib.

Ubertim egessit. Oculorum caligatio capitisque dolores remisêre.

Diebus 2. & 3. Clysteres immissi sunt, ex furfuris decocto & Melle Nymphato. Catharticam verò potionem die 4. sumendam designavi:

℞. Follic. Senn. Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j. Bull. q. s. in aq. ℔. j. adde Mellis aërei, ß. ij. ß.
F. colat. in duas doses distrib.

His feliciter inchoatis, in occipitio plaga caustico lapide inusta est, ut salutaris

quasi sentina fluidam molem expurgaret. Asininum lac sumpsit ad diem Junii 20. quotidiè horâ somni: Catharticam potionem, ubi opus fuit, exhibuimus. Posteà domesticum balneum præscripsi, quotidièque jusculum sic paratum exhausit:

℞. Carnis vitulinæ ℔. ß.
Folior. Cichor. Nasturt. & Scolopend. ana M. j.
Fumariæ, p. j. in s. q. aq. f. jusculum.

Huic viæ inhæsimus ad diem usque Julii 15 Ventrem subindè exonerando mediantibus Enematis, modò simplicibus, modò compositis.

Die Julii 16. Catharticam potionem dedimus:

℞ Mellis aërei ℥. ij.
Medull. Cass mund. ℥. ß.
In seri lactis ℔. ß. f. s. a. haustus.

Prosperrimo modo se res habuêre, capitis videlicet dolores, auditûs difficultas, oculorumque caligo evanuêre: paucæ papulæ dispersæ videbantur. Ut autem superstes ardor sedaretur, vehiculum liquidis restitueretur, pravorumque succorum redundantia obstructiones fovens tolleretur; laudatum monui virum, ut quotidiè, quamdiù posset, aquæ fluviatilis ℔. ij. jejuno ventriculo potaret. Monito paruit, integrâque fuit valetudine.

OBSERVATIO III.

DIE 3. Augusti 1729. accivit me Domina *** annos nata 86. Hanc jampridem molestaverant, etiam nuncque cruciabant continui pruritus, ab efflorescentiis modò erysipelatosis, interdùm lichenosis posteriorem cervicis partem, dorsumque nonnunquam adorientibus. Cùm autem omne remedium diù recusasset, universum corpus affectio ex utroque mixta deturpavit, quam tandem acerrimam fecit prurigo continua. Febris ex intervallo ægrotantem tentabat; vigilia perennis & dolor huic imminentem marasmum minabantur. Pulsus erat turgidus, profundus, frequens. Illicò missus est sanguis è brachio ad ℥. xij. Juscula composita sunt ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, addito gallinaceo pullo, inclusis Orizæ ℥. ij. potus autem ex Orizæ decocto.

Die 4. à qualitate sanguinis sero spoliati indicatione desumptâ, sanguis rursùm è brachio ductus est. Ad vesperum immissus est Clyster ex fol. Lactucæ & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 5. Juscula potumque fastidivit ægra; medicationem respuit, mihique sivè precanti, sivè minitanti, Catharticum unum à se sumendum concessit.

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Medull. Caſſ. mund. ℥. j.
In ſeri lactis ℔. ß. f. hauſtus.

Ægrotantem ſæpiùs poſt hanc diem inviſi, nec ideò monitis obtemperavit.

Verùm die 14. Septembris, ſævientibus ſymptomatis, citatim advocavit me: ſanguinis è brachio miſſionem præſcripſi, decoctum quoque fol. Cichor. cum Syr. viol. pro potu ordinario. Prætereà ter in die partes affectæ decocto flor. Sambuc. radic. Althææ & aquâvitæ elutæ ſunt.

Die 15. immiſſum eſt Enema emolliens, cum Melle Nymphato. Purgationem verò in proximum diem deſignavi:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Medull. Caſſ. mund. ℥. ß.
In decocto fol. Cichor. f. p. lax.

Hâc præparatione adhibitâ, lacte aſinino uſa eſt ad diem uſquè Octobris 15. quotidiè horâ ſomni; unoquoque autem manè, experrecta, juſculum temperans aſſiduò ſumpſit:

℞. Pullum gallinaceum exenteratum.
Adde Semin. iv. frigid. & orizæ contuſ. ana ℥. j.
Bull. q. ſ. in ſ. q. aq. f. juſculum.

Attamen die 20. Septembris, à præſcriptâ methodo recedere voluerat ægra; cui quidem ut omni ſolatio animos adderem, Collegam in conſilium adhibui. Similiter conjudicavimus.

Die 16. Octobris, administratâ purgatione, ad caprini lactis usum confugimus; omniaque tam prospere gesta sunt, ut firmam sanitatem facilè recuperaverit ægra.

SECTIO IX.

DE FEBRIBUS CONTINUIS.

OBSERVATIO I.

DIE 13. Maii 1723. curavi filiam Domini *** annos natam 18. febre continuâ laborabat, concurrentibus variis in toto corpore, præsertim in capite vibraticis doloribus. Os plurimis abhinc diebus amarescebat; lingua, præ viscosâ colluvie, faucibus adhærere videbatur. Catamenia verò tempore & quantitate solitis fluxerant, à die scilicet mensis ejusdem 9. ad declinantem 12. Abdomen insigniter tumebat, eratque alvus perastricta. Immissum est Enema ex decocto folior. Maluæ, Althææ, Mercurial. & Parietar. In colat. dilutæ sunt Mellis Mercurial. ℥. iij. Abundè dejecit. Vesperascente die detumuit venter, sudorem natura tentabat, huic verò locum vix dabat ægra continuis fermè corporis motibus jactata. Sequentem præscripsi potionem:

℞. Aquar. Bugloss. Scabios. & Card. bened. ana ℥. j.
Confect. Alkerm. ʒ j.
Sang Ibicini, ℈. j.
Syr. de Tunicâ & Diacod. ana ℥. ß. f. p. ad duas doses, tribus interpositis horis exhib.

Altùm dormivit, uberrimus è corpore manavit sudor, capitisq. dolor sedatus est.

Die 14. eundem tenorem servabat febris; ducta est è saphenâ ℔. sanguinis j. Die medio injectum fuit Enema ex emolliente decocto, & Nymphati Mellis ℥. iv.

Die 15. febris remisit; capitis evanuit dolor, eluta visa est lingua; libera fuit alvus; commodè, salvisque viribus sudor diffluxerat: turgebat tamen arteria. Sanguinem è brachio duximus ad ℥. xij. Julepum horâ somni exhibuimus:

℞. Aq. Lactuc. Portul. & Cich. ana ℥. j.
Syr. Nymph. ℥. j. f. jul. uno haustu sumendus.

Die 16. res adhuc meliores devenerant, levissimaque febris (febricula meliùs dicam) ægrotantem tenebat; purgationem institui:

℞. Follic. Senn. Cortic Peruviam. contus. & Rhei, ana ʒ. j.
Bull. q. s. in aq. ℔. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In colat. dissol. Sal. Absynth. ʒ ß. f. haustus.

Diebus 17. & 18. sumpsit manè in jusculo, Arcani duplic. ʒ. j. quotidiè. Die autem 19. Catharticam potionem exhibuimus:

℞. Follic. Senn. & Cortic. Peruvian. ana ʒ. ij.
Rhei, ʒ. j.
Tamarind. ℥. j.
Bull. q. s. in aq. ℔. j.
F. colat. ad duas doses.

Copiosæ fuerunt dejectiones, intermisit febris, nec deinceps rediit. Nil ergo novi factum est ad diem usque 23. quo quidem ultimam purgationem eamque simplicem adhibuimus.

OBSERVATIO II.

DIe 28. Aprilis 1724. invisi Dominum *** annos natum 62. Febre continuâ putridâ malignâ quatuor abhinc diebus laborantem. Cum duritie tumebat venter, alvus erat adstricta, pulsus durus, profundus, celer, inæqualis. Temperamentum bilioso-sanguineum; fervida mens & hilaris, corpus obesissimum. Bis è brachio sanguinem miserat Chirurgus, singulis scilicet vicibus ad pondus ℥. xij. Huic autem morbo originem dederant elegantes epulæ multiplices ab occasu solis ad ortum protractæ, ventriculi proindè & intestinorum

infarctus, crudaque colluvies fermentescens tot sæva procreabat, sævioraque minabatur symptomata. Victum tenuem institui; Clyster statim immissus est ex emolliente decocto & Mellis Mercurial. ℥. iv. Horis autem tribus elapsis injectus est alter ex simili decocto & Nymphati Mellis ℥. iv. paucâ quantitate dejecit æger.

Die 29. febris similiter ardebat; lingua nigricans & aspera percipiebatur, pigerrima erat alvus, abdomenque in immensum tumens inflammationem prænuntiabat. Illicò ducta est è brachio ℔. sanguinis j. Paratum est decoctum ex Siliq. Ægypt. contus. ℔. ß. in lactis sero, per Cyathos exhibendum. Fotus admoti sunt abdomini ex emollientibus in aq. decoctis, dein leviter expressis & calenti lacte imbutis. Copiosa tùm crudæ, tùm biliosæ colluviei quantitas per alvum prorupit, ita ut felicem brevemque morbum polliceretur remissio symptomatum. Declinante verò die, febris, omnibus recensitis stipata malis exarsit. Immissum est Enema ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj. singulisque ternis horis infundenda præscripsi Enemata, modò simplicia, modò composita. Largè subducta est alvus, abdominis tamen remanente duritie.

Die 30.

℞. Cass. cum Siliq. contus. ℥. vj.
Bull. q. s. in aq. ℔. ij.

In colat. diſſol. Sal. Stib. ℈ iv. f. doſes iv. ſingulis binis horis exhib. juſculo intermedio.

Facilis & multa per os & alvum excretio ſecuta eſt, infimo moleſcente ventre.

Die primâ Maii manê, æger in pejus ruebat, atque prioris ſpe diei me deturbabant non ſolùm ægri proſtratæ vires, ſed & ſymptomatum perfida reverſio & ſævitia. Sequens Apozema deſcripſi:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. Cichor. Lactucæ & Scolopend. ana M. j.
Syr. viol. ℥. ij.
In aq. ℔. ij. f. ſ. a. apoz. ad quatuor doſes.

Priùs tamen ad ſaphenæ ſectionem confugere cupiebam; ſed nolui ſolus decernere; conſanguineoſque monui ut quem eligerent Medicum, ejus me juvarent conſilio. Clariſſimum Collegam, doctiſſimum virum acciverunt; cui mentem meam, tàm de morbo, ejus cauſis, & progreſſu, quàm de geſtis & adminiſtratis aperui. Nobis itaque conjudicantibus educta eſt ℔. ſanguinis j. è ſaphenâ. Seniorem verò rogavi, ut quandiù periculum adeſſet, tamdiù ſuo me firmaret auxilio. Repetitum eſt apozema mox exhibitum. Nox ægrotanti moleſta fuit; intumuit venter, pigerrimaque ſtetit alvus.

Die 2. manè convenimus: ſecta rursùm eſt ſaphena, eductuſque ſimili quantitate

sanguis. Vix una elapsa est hora, & febris majore intumescentiâ abdominis stipata excanduit. Horâ post meridiem 4. ad conveniendum designatâ, jussimus amygdalatum sequens parari.

℞. Semin. Melon. ℥. j.
Amygd. dulc. excortic. N. xij. in aq. ℔. ij. f. s. a. Emuls.
In quâ misceatur Syr. Nymph. ℥. j. per Cyathos exhibeatur.

Remittente paroxysmo, infundatur Enema ex decocto emolliente, Elect. lenit. ℥. j. & Sal. prunellæ ʒ. j. Ne minimam quidem urinæ vel alvinarum fœcum guttulam extruserunt Emulsiones & Enema; magis ac magis intumuit venter, menteque alienata fuit æger. Horis alternis immissus est Clyster; modicâ tandem quantitate subducta est alvus.

Die 3. manè, symptomatis constanter sævientibus, illicò paratum est Enema:

℞. Folior. oriental. ℥. ß.
Crystall. miner. ʒ. ij.
Bened. laxat. ℥. j.
Tart. Stib. g̃. vj. f. s. a. Enema.

Parùm dejecit æger; injecti sunt Clysteres tertiâ quâque horâ, ex aq. fluviatili solâ. Nocte verò proximâ, acriter increbruit febris.

Die 4. manè, lingua erat nigricante asperâque crustâ obducta: febris ardebat. Opiatam sequentem parari jussimus:

℞. Cortic. Peruviam. ℥. iij.
Rhei, ʒ. j.
Tart. Vitriol. ʒ. ß.
Diacryd. g̃. x.
Diaphoret. miner. ʒ. j. ß.
Cum Syr. de rhamno, f. Op. in iv. doses distrib.

Antequam autem Opiatam voraret æger, sumpsit Manna ℥. ij. & æqualem Olei amygd. dulc. quantitatem in aq. ℔. ß. horâ scilicet 7. matutinâ. Prima verò dosis Opiatæ data est horâ undecimâ matutinâ. Ubertim humores tùm crudi, tùm biliosi fluxêre, usque ad horam post meridiem octavam; quâ, nobis lætantibus remisit febris. Porrò ut agenti naturæ ferretur auxilium, repetitum est purgans ex aëreo Melle, & Ol. amygd. dulc. Ægrotantem placidus nocte proximâ recreavit somnus.

Die 5. manè, paratum est sequens febrifugum

℞. Cortic. Peruvian. ℥. j.
Sal Glauber.. ʒ. ij. decoq. leviter in aq. ℔. ij.
Dein adde fol. Cichor. M. j. Bull. leviter: fiatque colat. in iv. doses distrib. & singulis ternis horis exhib.

Tenera fuit alvus, sufficienterque fluxerant urinæ. Cùm tamen linguæ siccitas & nigredo molestarent ægrum, mitigatus

eſt ardor ſimili Apozemate, quod die 1. Maii paratum fuerat.

Die 6. res placido & felici curſu ferebantur; repetitum eſt febrifugum priori die deſcriptum. Immiſſi ſunt Cliſteres ex aquâ ſolâ. Similiter actum eſt diebus 7. & 8.

Die 8. idem Amygdalatum exhibuimus, quod die 2.

Die 9. alternatim datum eſt febrifugum decoctum, & Amygdalatum, Febrifugum, exempli gratiâ, horâ 7. Amygdalatum verò horâ ſeſqui-octavâ: Febrifugum horâ decimâ; Amigdalatum horâ ſeſqui undecimâ; & ſic viciſſim. Hæc autem ſic geſta ſunt, utfebri & ardori conſuleretur.

Diebus 10. & 11. eidem viæ inhæſimus, & in proximum diem paratum eſt Catharticum:

℞. Cortic. Peruvian. & Rhei, ana ʒ. j. ß.
Mellis aerei, ℥. ij. ß.
Sal. de Abſynth. ʒ. j. in aq. ℔. j. ad duas doſes.

Cumulatè dejecit æger, febriſque fugata eſt.

Diebus 13. & 14. immiſſa ſunt Enemata ſimplicia; largior diæta fuit: ultimam autem purgationem exhibuimus die 15.

℞. Manna, ℥. ij.
Tamarendor. ℥. j.
Sal. Glauber. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

OBSERVATIO III.

DIe 14. Julii 1724. vocatus ſum auxilio uxoris cujuſdam Artificis, annos natæ 42. continuâ febre laborantis. Aderat reſpiratio difficilis, capitis acutus dolor, pulſûs durities, vigilia perennis. Eductus eſt illicò ſanguis è brachio ad pondus ℥. xij. Ad veſperum quantitas ſimilis è ſaphenâ ducta eſt. Noctu remiſit febris, liberior reſpiratio facta eſt. Pro potu ordinario ſumpſit decoctum fol. Cichor. & radic. graminis.

Die 15. manè immiſſum fuit Enema ex emolliente decocto, & Nimphato Melle. Horà autem 5. veſpertinâ, paululùm increbruit febris, quam citò ſedavit criticus larguſque ſudor.

Die 16. febriculâ paululùm tentabatur ægra; Catharticum illicò ſumendum præſcripſi:

♃. Folior. Oriental; Cortic. Peruvian. & Rhei, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Abſynth. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. &c.

Laudabili quantitate ſoluta eſt alvus. Medio autem die febris cum horrore prævio ægram invaſit.

Die 17. manè, febre remiſsâ, immiſſus eſt Clyſter ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.

& Cryſtall. miner. ʒ. j. ß. Horâ verò poſt meridiem ſecundâ lentiùs pulſabant arteriæ, cute madidâ : potionem ſequentem illicò parandam deſignavi :

℞. Aq. Bugloſſ. Borrag. & Card. bened. ana ℥. j.
Confect. de Hyacint, ʒ. j.
Sang. Ibicini, ℈. j.
Syr. de Tunicâ, ℥. j. ad duas doſes duabus interpoſitis horis exhib. juſculo intermedio

Largus utiliſque manavit ſudor, necnon intermiſit febris. Horâ ſomni Julepum exhibuimus :

℞. Aquar. Lactuc. & Nymph. ana ℥. j. ß.
Syr. Nymph. & Diacod. ana ℥. ß.
f. Julep.

Die 18. Febrem radicitùs avulſam cognovimus. Immiſſa ſunt Enemata ; manè ſcilicet ex furfuris decocto & Mellis de Mercuriali ʒ. iij. Veſperè verò ex fol. Lactuc. & Melle Nymphato.

Die 16. Medicationi finem impoſuit Catharticum ſequens :

℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. iij.
Rhei, ʒ. j. ʒ.
Manna, ℥. ij. ℥.
Sal. veget. ʒ. j. ß.
Syrc. de pomis comp. ℥. j. in ſ. q. aq. ad duas doſes.

OBSERVATIO IV.

DIe 13. Septembris 1724. accessi curaturus filium D. * * * in supremâ Curiâ Patroni, annos natum 24. Sanguis à diuturno venatu ita efferbuerat, ut redire Lutetiam febre continuâ vexatus, tandem coactus fuerit. Scintillabunt oculi; tumidus purpurebat vultus, in molem insignem venter erat elatus, alvus pigerrima, pulsus plenus, frequens, inæqualis, capitis acerrimus dolor; difficilè reddebantur urinæ. Temperamentum autem bilioso-sanguineum; cogitabunda mens, sed in iram præceps, corpus gracile. Semel ei secta fuerat vena in brachio, die Septembris 9. Rursùm, me jubente, ducta est è brachio ℔. sanguinis. Tumido ventri admotæ sunt emollientes herbæ in aquâ decoctæ & contusæ; ex quarum decocto immissa sunt Enemata duo. In horum priore dilutæ sunt Mellis Nymphati ℥. iij. alvus laxata est, venter detumuit.

Die 14. novam ab inflammatorio sanguine indicationem desumens, ℔. sanguinis è brachio mitti similiter curavi. Clysteres & fotus repetiti sunt. Tantillùm remisit febris.

Die 15. Cyathim tertiâ quâque horâ sequentes Emulsiones hauriendas præscripsi.

℞. Semin. iv. frigid. ʒ. vj.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Contund. in mortar. marmor. ſenſim affund. ſeri lactis ℔. ij. in colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ß. f. Emulſ.

Sub veſperum injectus eſt Cliſter ex furfuris decocto, Elect. lenit. ℥. j. & Cryſt. miner. ʒ. ij.

Die 16. ut ardori & humorum redundantiæ conſuleretur, Cathartica potio fuit inſtituta:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. ß. f. ſ. a. p. lax. in ſeri lactis ℔. j. ad duas doſes.

Dejectiones uberrimas procreavit Catharticum: ſedata eſt Febris; temperatus eſt ardor.

Diebus 17, 18, & 19, exhibuimus Apozemata:

℞. Bugloſſ. Borrag. Cichor. Ceræfol. & Lactuc. ana M. ß. Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. ij. Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. ß. In colat. diſſol. Sal. Glauber. ʒ. ij. & dilue Syr. viol. ℥. j. f. Apoz. ad duas doſes, tertiâ quâque horâ ſumendas, juſculis intermediis.

Alvus liquida ſervata eſt; ſymptomataque fugata ſunt.

Diebus 20, 21, & 22. Cyathim hauſit æger ſeri lactis ℔, ij. cum Syr. viol. ℥. j. ß.

quotidè manè, jejuno ventriculo. Clyster immissus est assiduè, ex furfuris decocto, & Mellis violati, ℥. iij.

Die 23. laxantem potionem exhausit:

℞. Rhei Elect. & Agarici, ana ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. j. ß.
Sal. Epsomiens. ʒ. ij. in aq. ℔. ß. f. f. a. haustus.

OBSERVATIO V.

Die 4. Julii 1725. curavi uxorem cujusdam Artificis, annos natam 32. febre continuâ novem abhinc diebus laborantem. Acriter saliebant arteriæ; vasa turgebant; scintillabant oculi; sicca cutis erat, deurens & aspera, albicans lingua, facies tumens & ignea: periodicus imminebat uteri fluor. Temperamentum erat sanguineum, morosa mens, corpus obesum. Ductæ sunt statim è saphenâ ℥. sanguinis xij. sequentemque potionem in duas doses distributam, duabus interpositis horis sumsit, jusculo intermedio:

℞. Aq. Card. bened. & Melissl. ana ℥. ij.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Syr. de Absynth. ℥. j. f. p.

Die totâ, ad horam usque septimam vespertinam, fuit ægra sudore diffluens,

madidiſque depoſitis induſiis, remiſit febris; nox ducta eſt inſomnis.

Die 5. manè, immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto, & Mellis Mercurial. ℥. iij. alvum ubertim exoneravit. Medio autem die febris increbruit; cute minùs ſiccâ, minùſque aſperâ. Potus fuit ex decocto radic. Gramin. & Cichor. in cujus ℔. j. ß. ſoluta eſt Sal. Nitri ℨ j. Sub veſperum prodiêre menſtrua: nocte remiſit febris.

Die 6. difficilè parùmque ſtillabat ſanguis ex utero: parata eſt potio ſequens:

℞. Aquar Meliſſ. Artemiſ. & Matricar. ana ℥. j.
Sal. Abſynth. ℨ. j.
Syr. de Artemiſ ℥. j. f. p. ad duas doſes.

Paulò largior indè factus eſt menſtruorum fluxus.

Die 7. manè, de improviſo tanta hanc oppreſſit triſtitia, ut ſubita vulvæ ſtrangulatio acceſſerit, ſuæque mentis compos non fuerit. Muſſitat ægra, ſacras mox preces, mox languidos conqueſtus ordine nullo balbutit; ipſi denique mortem proximam omnia minitantur ſymptomata. Illicò ductæ ſunt ℥. ſanguinis xij. è ſaphenâ; dein hiſterica potio die præcedente deſcripta rursùm exhibetur.

Die 8. Catamenia rediiſſe, laudabilemque nocturnam fuiſſe quietem agnovi; necnon

necnon ex ipsâmet ægrâ, mente ſanâ ratiocinante, mali cauſam audivi. Rectè geſta ſunt omnia, ſtante tamen febre mediocri. Proximo die immiſſa ſunt Enemata, placiduſque ſomnus ægram recreavit.

Die 10. conſedit uterus, febris leviſſima quidem perſeverabat. Paratum eſt Apozema:

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. Cichor. Lactucæ & Parietar. ana ſ. q. ut ex illis contuſ. & expreſſ. educatur ſuccus ad ℔. ß.

Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.

In colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ad duas doſes quotidiè repetendas, donec prohibeantur.

Miranda præſtitêre, nec ab ipſis abſtinuimus niſi die 16. hoc ſolum immutando, ſcilicet ut unâ die ℥. ij. Manna, alterâ verò ℥ j. ſolveretur in Apozemate. Præterea altero quoque die, Cyathim hauſit ægra ſeri lactis ℔. ij. & Syr. viol. ℥. j. ß. alternis horis: non omiſſis tamen Clyſteribus ſimpliciſſimis. Febris ex toto receſſit die 14.

Die 17. ultimam purgationem inſtituimus:

℞. Caſſ. cum Siliq. contuſ. ℥. iv.
Tamarindor ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
In ſ. q. aq. f. p. lax. in duas doſes diſtrib.

OBSERVATIO VI.

DIe 18. menſis ejuſdem Julii 1725. accivit me filia Domini in Supremo Senatu Patroni, annos nata 27. morbi dies quadrageſimus hic erat. Ineunte Junio, quotidiana febris intermittens, leviſſimo frigoris ſenſu præeunte, puellam diù tentaverat, acutiſſimique capitis dolores cruciaverant. Bis è brachio ſanguinem duxerat Chirurgus dexterrimus, variaque remedia adhibuerat, Ptiſanam præſertim Diaphoretico-Catharticam (*Ptiſane laxative commune parmi les Chirurgiens*,) atrociora ſequuntur ſymptomata. Continua febris urget, capitis dolores increſcunt, acerrima ventris tormina virginem laceſſunt; abdomen intumeſcit: hæc tandem omnia fiunt vigeſimo morbi die. Advocatur alter qui mederetur, ſed poſt dies 20. ſuſceptam deſeruit curam. Die igitur 18. Julii, abdomen deprehendi durum, tenſum, tumidum, ſummoperè dolorificum, continuam ſentiebat ægra pulſationem, deurentem calorem in umbilicali regione, obſcuruſque *undulationis* ſenſus tactu percipiebatur: legitimum inſtabat menſtruæ purgationis tempus: nocte verò præcedente, fuerat mente lapſa rigentibus extremis. Illicò ſaphena ſecta eſt, ad detracti

ſanguinis ℔. j. ſequenſque paratur potio :

℞ Aquar. Card. bened. Meliſſ. & Betonic. ana ℥. j.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Syr. Diacod. ℥. j. ad duas doſes.

Interim abdomini emollientes herbæ, leviter in aquâ decoctæ, & lacte calente ſufficienter imbutæ admotæ fuerunt. Somnus ægram recreavit hor. circiter quatuor. Reliquâ autem nocte dolores compeſcuiſſe viſa eſt potio.

Die 19. adſtrictam alvum ſubduxerunt Enemata ex emolliente decocto & Nymphato Melle parata. In proximum verò diem, Opiatam deſignavi ſequentem, quâ ſcilicet indurata humorum ſaburra & illuvies in ventriculo & inteſtinis ſtabulans educeretur :

℞. Rhei pulver. ʒ ij.
Mechoacann. ʒ. j.
Tabellar. Diacarthami, ℥. ß.
Matris perlar. & oculor. Cancr. ana ʒ. j. ß.
Medull. Caſſ. mund & extract. Juniperi, ana p. æ. f. Op. ad pondus ʒ. j bis in die voranda.

Pro potu ordinario f. decoctum pulli gallinacei, & ſemin frigid. Quantitate legitimâ ſoluta eſt alvus. Opiatam aſſiduè ſumpſit ægra, Clyſtereſque fuerunt immiſſi.

Die 21. ut deſideratus revocaretur ſomnus, Julepum exhibuimus :

℞ Aquar. Lactuc. & Nymph. ana ℥. ij.
Syr. Diacod. ℥. j ad duas doſes.

Notandum venit, defuiſſe menſtrua, atque à nobis non fuiſſe expectata, propter morbi diuturnitatem.

Die 22. inter aluinas fœces laudabili copiâ excretas, apparuit materia verè purulenta, quam efformari prædixeram. Ad veſperum febrem remiſſam agnovi, ſedataque tormina. Tranquillior nox fuit.

Nil novi factum eſt uſque ad diem tertiam Auguſti, felicemque exitum habuit uſus Opiatæ, Clyſterumque aſſidua immiſſio.

Die igitur Auguſti 3. inſigniter detumuerat venter; materiam verò purulentam bilioſis humoribus immixtam per alvum egerebat ægra, febriſque lenta ſuperſtes periculum adhuc adeſſe ſignificabat. Venter equidem erat quaſi complanatus, ſed ſubdurus & dolorificus tactu deprehendebatur. Febrifugam laxantem miſturam præſcripſi:

℞ Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. j.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℔. ß.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. iij.
F. Colat. Cyathim ſingulis ternis horis exhib.

Votis ità reſpondit potio, ad diem Auguſti undecimum continuata, ut febrem omninò depulerit, omniaque fuerint fugata ſymptomata.

OBSERVATIO VII.

DIe 23. Septembris 1725. curavi mulierem quamdam, annos natam 34. continuâ febre laborantem. Capitis dolores urgebant, corpusque multo quasi labore fractum jacebat; identidem universa cutis madebat: menstrua expectabantur in diem mensis ejusdem 26. porrò ipsi redundabat sanguis. Illicò ductæ sunt è brachio ℥. sanguinis xij. Medio die immissus est Clyster ex communi decocto & Mellis mercurialis ℥. iij. Sub vesperum autem misimus è saphenâ ℔. sanguinis j. Statimque naturæ sudorem molienti consuluimus:

℞. Aquar. Bugloss. Borrag. & Card. bened. ana ℥. j.
Confect de Hyacint. ʒ. j.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Syr. de Tunicâ, ℥. j. f. p. ad duas doses.

Post primam dosim sumptam, sudore diffluens facta est ægra, febrisque cessante sudore remisit.

Die 24. hausit misturam sequentem:
℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Dissol. in aq. ℥. vj.
In Colat. dilue Ol. amygd. dulc. ℥. ij. f. haustus.

Laudabiliter exonerata eſt alvus. Veſperè autem increvit febris, acrioreſque rediêre capitis dolores, quibus omnibus ut ſuccurreretur, parata eſt ſequens potio:

℞. Aquar. Lactucæ & Nymphææ, ana ℥. ij.
Syr. Diacod. ℥. j. f. Julepus ad duas doſes.

Nox tranquilla fuit.

Die 25. ſuperſtitem manè febriculam agnovi; aderat quidem in infimo ventre colicus dolor. Itaque naturæ periodicum fluxum tentati ſic conſultum eſt:

℞. Aquar. Artemiſ. Matricar. & Meliſſ. ana ℥. j.
Confect. de Hyacint. ʒ. j.
Sal. de Artemiſ. ʒ. j. ß.
Syr. de Abſynth. ℥. j. f. p. Cochleatim alternis horis exhib.

Anteà verò, Clyſter injectus eſt ex emolliente decocto, & Mellis mercurial. ℥. iv. præcipitante in occaſum die, floruit uterus; ſedati ſunt dolores, febris fermè nulla deprehenſa eſt: ſomnus noctu acceſſit.

Diebus 26, 27 & 28. exhibuimus Apozemata ſequentia:

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. Cichor. Ceræfol. & Scolopend. ana. M. ß.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. ß.
In Colat. diſſol. Sal. Centaur. ʒ. j. ß.
Et dilue Syr. de Abſynth. ℥. j. f. Apoz. in tres doſes diſtrib. & ter-

tiâ quâque horâ ſumend. juſculis intermediis.

Die 28. febris ex toto quievit : ſolitâ autem quantitate menſtrua fluxerunt; quibus planè & legitimè ſuppreſſis, purgata eſt convaleſcens :

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Abſynth. ℈. ij. in ſ. q. aq. pro doſi ex arte parandâ.

Dejectiones uberrimæ plethoricam mulierem allevarunt.

Die 3. Octobris omni medicationi finem impoſuit Cathartica potio :

℞. Follic. Senn. & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Epſomienſis, ℥. ß. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. p. uno hauſtu ſumenda.

OBSERVATIO VIII.

Die 28. Novembris 1725. filius Domini *** annos ſex natus, continuâ febre, diarrhæâ nauſeiſque frequentibus ſtipatâ laborabat : bis, aliquando ter in die febris remittebat & increſcebat. Pulſus erat durus, turgidus, elatus, dejectiones crudæ : pro potu parata eſt Ptiſana ex decocto radic. Graminis & Orizæ ; purgatioque ſic inſtituta :

℞. Mellis aërei, ℥. j.

Catholic. duplic. ℥. ß. in aq. Plantag. ſ. q. pro doſi.

Uberrimam viſcidæ colluviei copiam per inferiora depoſuit. Adſtricta autem fuit alvus ab horâ tertiâ veſpertinâ ejuſdem diei 28. ad decimam matutinam diei 29. ſomnoque recreatus eſt horis circiter quatuor.

Die ergo 29. manè, febris inſigniter remiſit; detumuerat abdomen: quapropter, egeſtis à præcedente Cathartico cruditatibus, ductæ ſunt è brachio ſanguinis ℥. vj. præcipitante in occaſum die, Clyſter immiſſus ex furfuris & ſemin. Lini decocto. Placida nox ſecuta eſt.

Die 30. manè febris increbruit; alvus autem moderatè liquida fuit. Nil novi præter Enemata præſcriptum eſt. Febrilis ardor ad paucas horas perductus eſt. Tranquillus acceſſit ſomnus.

Die primâ Decembris, febris immaniter exarſit; nauſeæ frequentes puerum tentavêre: quibus ut indicata daretur medela, ſequentem hauſtum exhibuimus:

℞. Sal. Stib. g̃. j.
Kerm. miner. g̃. ß.
In aq. ℥. iij. pro doſi.

Ventriculo autem ſatis per vomitum exonerato, ſoluta eſt Mellis aërei ℥. j. ß. in juſculo. Ubertim & ſine moleſtiâ supernè & infernè dejecit æger, ſomnoque indulſit horis circiter 8. proximâ nocte.

Febris eâdem declinante die quievit ex toto, puerque sine alio quovis medicamine sanatus est.

OBSERVATIO IX.

Die 14. Januarii 1726. accivit me in suæ conjugis auxilium *** coriorum Subactor, annos natæ 56. febre continuâ malignâ (non quidem ab Exanthematis sic dictâ, nulla enim aderant, nec expectabantur, sed à symptomatum sævitiâ) novem abhinc diebus laborantis. Caput erat gravatum, oculi scintillantes; abdomen durum, pertumidum, alvus coacta, mens ex intervallo delira; temperamentum autem bilioso-sanguineum, quadratum corpus & obesum. Bis in brachio secta fuerat vena, variæque potiones mox Catharticæ, mox Emeticæ, modò refrigerantes, interdùm inflammantes inconditè fuerant adhibitæ. Unde non mediocriter increbruêre symptomata. Balbutiens ægra vix verbum voce proferebat, vel gestu significabat; linguaque nigricans erat & aspera. Illicò, me jubente, missus est sanguis è saphenâ ad ℔. j. horisque tribus elapsis injectus est Clyster ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. & Crystall. miner. ʒ. ij. Ventri admotæ sunt emollientes herbæ; ex quarum decocto paratum est Enema vesperè, additis Mellis de Mercuriali ℥. iv.

Die 15. febris remiserat; alvum Cathartico sequente subduximus:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv.
Tamarindor. ℥. j.
Manna, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j.
F. ex arte p. lax. in tres doses distrib.

Uberrimæ fuerunt dejectiones; nec mediocriter detumuit abdomen. Ad vesperum injectum est Enema ex Cathartici Magmate. Pro potu ordinario Emulsionem præscripsi, paratam ex semin. Melon. ℥. j. Syr. Nymph. ℥. j. ß. in aq. ℔. iij.

Die 16. rursùm intumuit venter, menteque lapsa est ægrotans. Itaque denuò ducta est è pede ℔. sanguinis j. Fotus similes admoti sunt, similesque Clysteres immissi, qui die 14. descripti sunt. Medio die remisit febris; alvus laudabiliter subducta est, sana mens rediit, loquela etiam facilis.

Die 17. Ut subdurus venter emolliretur, teneraque servaretur alvus, parata sunt Apozemata sequentia:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. & Parietar. ana M. j.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ß. f. Apoz. lax. in tres doses distrib.

Votis satisfecerunt Apozematosæ doses, & usque ad diem 2. fuerunt repetitæ.

Die 21. Blanda purgatio instituta est:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Elect. Lenit. ℥. j.
In s. q. aq. f. s. a. haustus lax.

Fugata penitùs visa sunt symptomata diebus 22, 23 & 24, nulla videlicet febris, nulla ventris tensio, calor nullus.

Verùm die 25. manè, pravam victûs rationem secutum est periculum ingens: nam delirio vèxata est mulier, algebant extrema, nares patebant; jamque morte proximâ tenebatur, cujus copiosam os agebat spumam. Cùm autem quantumvis exiguam sorbere potionem vix posset, in aq. Cochleari soluta sunt Sal. Stib. g̃. iij. horisque tribus ab assumpto Emetico, faciliore factâ deglutione, solutæ sunt Manna ℥. ij. in jusculo. Viscida crudaque colluvies supernè, biliosa fœtidissimaque per alvum largè proturbata est. Horâ verò somni, defessas partes recreavit julepus:

℞. Aq. Nymphææ, ℥. iij.
Syr. Diacod. ʒ. vj. f. julep.

Die 26 Melioribus factis rebus, eadem propinavit Apozemata quæ die 17. omisso Manna. Clysteres injecti sunt ex emolliente decocto: in Colat. dilutæ sunt Mellis Mercurial. ℥. iij. manè; vesperè verò Mellis Nymph. ℥ iv. Hæc assiduè parata sunt ad diem usque Januarii ultimum.

Die primâ Februarii curationi felicem finem imposuit purgatio;

℞. Follic. Senn. & Rhei Electi, ana ℨ. j.
Manna, ℥. ij.
Tabellar. Diacarthami, ℨ. j. ß.
In f. q aq. f. p. lax. uno haustu sumenda.

OBSERVATIO X.

DIe nonâ Februarii 1726. misit me in suæ sororis lemniscorum Textoris auxilium D.*** annos natæ 47. morbi dies septima hæc erat; quatuor venæ sectiones in brachio, variaque purgantia confusè & ineptè adhibita à circulatore passa fuerat, undè ad mortem giganteo gradu innocens properabat victima. Ardens malignaque sæviebat febris, pulsus exilissimus, profundus, frequens, nec rarò convulsivus & intermittens; sicca cutis & aspera, tumidum ac durum abdomen, urina difficilis, continuaque in somnum propensio. Corpus autem gerebat obesissimum. Sanguis illicò è saphenâ fuit eductus ad ℔. fermè unam. Quo facto, immissum est Enema ex emolliente decocto, & Mellis Mercurial. ℥. iv. dein abdomini emollientes herbæ fuerunt admotæ. Sub vesperum alius injectus est Clyster ex eodem decocto & Mellis Nymphati, ℥. iij.

Die 10. Eundem vigorem symptomata servabant; venter tamen paululùm detu-

muerat : nauſeabundi verò conatus per intervalla cum crebris ructibus erumpebant. Naturam itaque laborantem adjutaturus, ſequentem præſcripſi miſturam :

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. f. Colat. in duas doſes diſtrib.
In priore diſſol. Tart. Stib. g̃. iij.
In alterâ, Mellis aërei, ℥. ij. ß.

Larga glutinoſæ illuviei copia supernè & infernè fuit deturbata; ventriculus poſteà ſiluit, remiſit febris. Attamen ne mitigata ſymptomata noctu increbreſcerent, me præſente, ſub veſperum, denuò miſſus eſt ſanguis è ſaphenâ ad ℔. j. vires etenim ſinebant.

Die undecimâ, ſtupor minùs gravis cum levi & intercurrente delirio perſeverabat; facilè fluebant urinæ, duriuſculus autem venter, lingua nigricans, minùs aſpera, pulſus validus, ſed ordinatè feriens. Parata eſt Cyathim alternis horis exhibenda quæ ſequitur miſtura :

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Tamarind. ℥. ij.
Mellis aërei, ℥. ij. in ſeri lactis ℔. ij. ß. ad quinque doſes.

Liquida pro votis fuit alvus, lingua florida facta eſt & naturali liquore irrorata; pulſus placidus fuit, ſtupore remanente.

Die duodecimâ, Apozemata inſtituta ſunt :

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. Cichor. ana M. j.
Syr. limon ℥. j. ß. in ſ. q. ad tres doſes ex arte parandas.

Interim, manè immittatur Enema ex emolliente decocto & Elect. Lenit. ℥. j. Veſperè autem alterum ex aq. cum Cryſt. miner. ʒ. ij. Exitu proſperrimo uſurpata ſunt hæc omnia, que die proximo ſimiliter adminiſtrata ſunt.

Die 14. Purgationem inſtituimus:
℞. Follic. Senn. & Rhei, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Epſomienſ. ʒ. ij. in aq. ℔. ß.

Laudabiliter dejecit ægra, & mentis facta compos, Juſcula & Ptiſanam, ubi indigebat, à cuſtode poſcebat. Die verò 15. Clyſteres ſimplices immiſſi ſunt.

Die 16. Cùm quædam tuſſicula dolore levi ſtipata ſuperveniſſet, Cochleatim ſequentem potitavit ægra potionem:
℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dul. ℥. v.
Adde Syr. Papaver. errat. ℥. j. f. p.

Die 17.
℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. ℔. ß. f. hauſtus.

Die 18. ad diem uſque 23. exhibuimus Apozemata ex fol. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. parata addito Syrupo viol. Porrò liquidam alvum tenuerunt Enemata.

Die 24. ultimam potionem sumpsit mulier convalescens:

℞. Manna, ℥. ij.
Medull. Cass. mund. ℥. j. in aq. ℔. ß.
f. p. lax.

OBSERVATIO XI.

DIe 12. Junii 1726. vocatus sum auxilio nobilis Dominæ *** filiæ, annos natæ 38. continuâ febre diris exacerbationibus quotidianis stipatâ laborantis. Capitis doloribus acerrimis cruciabatur; frequente tussiculâ molestabatur; universum corpus multo quasi labore fractum jacebat obrutum, noctuque non rarò ipsa mens errabat. Morbi dies hic tertius erat. Temperamentum gerebat bilioso-sanguineum, gracile corpus & delicatulum, mentem hilarem & fervidam. Semel ei secta fuerat vena in brachio. Rursùm similis venæ sectio facta est habitâ virium ratione. Medio die, immissum est Enema ex emolliente decocto, & Mellis Nymphati ℥. iij. Interim alternis horis sequentem potionem Cochleatim sumpsit ægra:

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Adde Syr. Althææ, ℥. j. f. p.

Die 13. Paucus admodùm fuerat de nocte somnus; sana mens visa est; acrior verò tussis, quam per intervalla sequebatur

ſputum cruentatum. Capitis dolor lancinans cum atrociſſimâ febre perſeverabat. Ad ſaphenæ ſectionem confugere non dubitaſſem, ni pulmonibus inflammatis maluiſſem conſulere. Quapropter miſſus eſt adhuc ſanguis è brachio: iterata eſt potio oleoſa, ſimiliſque Clyſter injectus.

Die 14. Levior & rarior fuit tuſſis; ſomno recreata fuerat ægra, nec tantus eam cruciabat capitis dolor. Manè igitur Clyſterem infundi curavi ex furfuris decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij.

Die 15. mutata eſt rerum facies; noctem nempè pervigilaverat ægra, æſtu febreque fuerat immaniter jactata: premebant eam ſpiritûs anguſtiæ. Pulſus erat exilis, frequens, profundus, quandoque intermittens & convulſivus, durum & ſubtumidum abdomen; tuſſis autem rara, ſputum liberale nec cruentatum. Ergo ſine morâ ductæ ſunt è ſaphenâ ℥. ſanguinis xij. Paulòpoſt ægram pluries anima defecit, verùm exitu proſperrimo; facillima enim facta eſt reſpiratio, venterque detumuit.

Die 16. Prodière menſtrua, pulſumque magis evolutum deprehendi. Ab omni medicamine abſtinui, quia nullum ſumere voluit ægrotans.

Die 19. Febris equidem mitior, ſed continua ſtabat. Solitâ quantitate floruerat uterus; Apozema paratum eſt.

℞. Folior Buglosſ. Borrag. Cichor. & Ceræfol. ana M. j.
Bull. leviter in aq. ℔. i. ß. cum Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. iij.
In Colat. diſſol. Sal. Abſynth. ʒ. j. ß.
f. Apozema lax. ad tres doſes, tertiâ quâque horâ ſumend.

Similia facta ſunt ad diem uſque 26. hoc obſervando, ut altero quoque die Manna omitteretur. Febris in dies remiſit, & die 28. ex toto quievit.

Die 1. Julii, præparatis, non infernè diſturbatis humoribus ab Apozemate, laxantem potionem exhibuimus:

Cortic. Peruvian. & Rhei, ana ʒ. j.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Glauber. ʒ. j. in ſ. q. aq. pro doſi.

Dejectiones uberimas adduxit Cathartica potio; confirmataque reſtituta eſt ſanitas.

OBSERVATIO XIII.

DIe undecimâ Auguſti 1726. vir probus Dominus *** Frumentarius, annos natus 48. febre continuâ graviſſimis ſymptomatis ſtipatâ laborans, accivit me. Morbi dies hæc erat tertia. Porrò cujuſdam Barbitonſoris opem inclamaverat, qui

ſtatim poſt largam ſang. è brachio miſſionem. Tart. Stib. g̃. v. in aq. ℥. vj. ſoluta uno hauſtu exhibuerat; indèque ob inſufficientem vaſorum exinanitionem, ſæviora ſymptomata, imò & ægrum quaſi igneſcentem reiderat. Ardebat Febris, oculi ſcintillabant, tumida facies erat rubore livido perfuſa, durus venter, pulſus frequens, profundus; totum torpebat corpus, continuis inquietudinibus, æſtuque acerrimo jactabatur æger, mentis raro compos. Temperamentum gerebat bilioſo-ſanguineum, feſtivam mentem, obeſiſſimum corpus: cæterùm homo erat edaciſſimus. Illicò miſſæ ſunt è brachio ℥. ſanguinis xij. Ptiſana parata eſt ex decocto radic. Gramin. & Fragar. in cujus ℔. iij. ſoluta eſt Sal. Nitri. ℨ. j. Sub veſperum injectus eſt Cliſter ex decocto fol. Lactucæ & Betæ, cum Mellis Nymphati ℥. iv. Alvus pro votis fuit ſubducta, ardorque mitigatus.

Die 12. Sæviente capitis dolore, totiuſque corporis perſeverante jactatione, ſecta eſt ſaphena, ductaque ℔. ſanguinis j. Veſperè Clyſter ut ſuprà.

Die 13. Clyſteres manè & ſerò immiſſi ſunt prioribus ſimiles, omiſſo Melle. Interim Emulſ. Cyatim hauſit æger.

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi. ℨ. j.
Amigd. Excortic. N. vj.
Contund. in mortar. marmor. ſenſim

affund. ſeri lactis ℔. ij.

In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ß. ſ. Emulſ.

Similliter, feliciterque repetita eſt Emulſ. die 14. In proximum verò diem Catharticum præſcripſi :

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.

Bull. q. ſ. in ſeri lactis ℔. j. ß.

Adde Mellis aërei, ℥. iij.

In Colat. dilue Syr. de Cichor. comp. ℥. j.

F. p. lax. ad tres doſes, alternis horis exhib. juſculis intermediis.

Uberimæ dejectiones fuerunt, inſigniterque remiſit Febris.

Die 16. Clyſteres immiſſi ſunt emollientes. Emulſionem pro potu ſimiliter exhibuimus. Veſperaſcente die febris intermiſit, placidoque ſomno æger indulſit horis circiter ſex.

Die 17. manè, febris, præeunte levi frigore, ægrotantem tentavit. Sequentem Opiatam præſcripſi :

℞. Cortic. Peruvian. ℥. j.

Rhei, ʒ. ij.

Salis Ammoniaci, ʒ. j.

Salis Tamuriſci, ʒ. j. ß.

Cum ſ. q. Medull. Caſſ. mund. f. ex arte Opiata ad pondus ʒ. j. ter in die voranda.

Die 18. Quieſcente febre, ſequens fuit inſtituta purgatio.

℞. Cortic. Peruvian. contus. ʒ. ij.
Follic. Senn. Rhei Electi & Agarici, ana ʒ. j.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aerei, ℥. ij.
Sal. veget. ʒ. j. in aq ℔. j. f. s. a. p. in duas doses distrib.

Largâ quantitate laxata est alvus. Levissimam, hac die, febris tentationem percepit æger, sine ullo frigoris sensu; nullam verò sequentibus diebus. Opiatam assiduè sumpsit, Enemataque, ubi opus fuit, immissa sunt ex fol. Lactucæ solius decocto.

OBSERVATIO XIII.

DIe 29. Septembris 1726. profectus sum Pontum in Urbem Campaniæ, curaturus nobilissimum virum Dominum *** in Suprema Parisiensi Curiâ Senatorem, annos natum circiter 26. febre duplici-tertianâ continuâ laborantem. Attigi Castellum die ultimo mensis ejusdem, horâ quintâ matutinâ. Dies hic erat morbi sextus. Ab adstantibus accepi, quod hæc febris post remissionem sex circiter horarum, ardore novo sæviret, atque altero quoque die fieret exacerbatio major, ac longior illius vigor. Vena fuerat bis in brachio secta; Clysteres ex emolliente decocto immissi. Porrò antequam ad aliquod

remedium confugerem, de omnibus & singulis morbi symptomatis sororem quamdam sub charitatis titulo in Urbe curantem interrogavi. Continuis vehementissimisque vertiginibus æger fuerat cruciatus. Quælibet Febris exacerbatio præcursorem habebat frigoris & horroris sensum, succedaneoque sudore terminabatur cum notabili remissione. Noctes tandem omnes ad hunc usque diem insomnes duxerat. Pulsum deprehendi frequentem, exilem, intermittentem; summaque virium erat exinanitio. Temperamentum autem melancholico-biliosum; mens sollicita, litteris dedita, mores suavissimi, sanctissimi, maximâque probitate insignes. Stabulántem itaque colluviem sequente Cathartico eduximus:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in seris lactis ℔. j. f. s.
a. p. lax. ad duas doses.

Ptisana parata est ex decocto Graminis & Oryzæ. Uberrimè & sine molestiâ dejecit æger; tantaque fuit febris remissio, ut proximè ad intermissionem accesserit. Magna noctu tranquillitas, sed sine somno fuit.

Die primo Octobris manè, febricula quædam deprehensa est; cùmque nullam febris exacerbationem pridiè passus esset æger, omne tandem periculum abesse exi-

ſtimabat. Verùm ſpes eum fefellit: nam horâ ſecundâ pomeridianâ, levis horror, quem calor mediocris ſecutus eſt ægrotantem invaſit: longum fuit febris augmentum, copioſo tandem ſudore abſolutum. Emolliens Clyſter fuit injectus cum Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 2. Tantâ ævitiâ tantoque furore febris ægrum corripuit, abſque ullo frigore, ſed concomitantibus corporis jactationibus capitiſque vertiginibus, ut infauſtus metueretur exitus; præſertim, ubi cadente ſole, delirio vexatus eſt æger; quod quidem, depoſitis ſudore madidis induſiis, fugatum eſt, & factus eſt mentis compos. Multis tamen perturbationibus corporis totâ nocte commotus fuit. Quamobrem,

Die tertio manè ducta eſt ℔. ſanguinis una è ſaphenâ; ſumpta ſunt Apozemata ſequentia:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. Cichor. & Ceræfol. ana. M. ß.

Bull. q. in aq. ℔, j. ß. cum Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. ß.

In Colar. dilue Syr. viol. ℥. j. ß.

F. Apoz. Febrifug in tres doſes diſtrib. & tertiâ quâque horâ exhib. juſculis intermediis.

Sub veſperum, immiſſus eſt Clyſter ex fol. Lactucæ & Betæ decocto, additis Mellis Mercurialis ℥. iij.

Die 4. Febris intermiſit. Parata ſunt Apozemata prioribus ſimilia ; ſed Corticis Peruvian. decocti loco, ſubrogata eſt ejuſdem in tenuiſſimum pulverem redacti ʒ. j. in unâquaque doſi ſine colat. exhibenda. Præterea, manè, infuſum eſt Enema ex decocto emolliente, Melle omiſſo. Veſperaſcente die immiſſum eſt alterum ſequente modo paratum :

℞. Fol. Lactucæ & Betæ, ana M. ß.
Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. j. ß.
Bull. q. ſ. in ſ. q. aq. f. Enema.

Ne minimâ quidem febriculâ tentatus eſt æger : ſummâ tranquillitate recreatus eſt. Verumtamen ut ſolidior quies accederet, julepum præſcripſi :

℞. Aq. Lactuc. & Nymphææ, ana ℥. j. ß.
Syr. Nymphati & Diacod. ana ℥. ß.
f. jul.

Die 5. Proſperrimo curſu res ferebantur. Infuſa ſunt Enemata duo febrifuga ; unum manè, alterum veſperi : medio autem die injectum fuit unum ex fol. Lactuc. & Mellis Nymphati ℥. iij. Tres quoque Apozematum doſes hauſit convaleſcens prioribus ſimiles. Horâ undecimâ ſerotinâ, julepum exhibuimus. Bis autem hocce die unam & alteram jurulenti panis offam voravit convaleſcens.

Tam proſperè geſta ſunt omnia, ut die 6. horâ matutinâ quartâ ab illuſtriſſimo viro arctè dormiente receſſerim Lutetiam

reversurus. Scripto tamen eum monui, ut gradatim imminuendo, à medicamentis tandem abstineret. Dein verò polentâ Britannâ (gallicè *Gruau de Bretagne*) jejuno ventriculo, quamdiù posset, uteretur.

OBSERVATIO XIV.

DIe 28. Octobris 1726. invisi Dominum *** Musicum, annos natum 55. tertio febris tertianæ duplicis continuæ paroxysmo tentatum, altero quoque die, statimatque eum corripiebat febris exacerbatio, vexabatur & delirio; cantitabat ad harmoniam, & ubi per intervalla delirium faciebat inducias, tunc in suris acerrimi dolores immaniter cruciabant, ita ut summâ vocis contentione clamores & ejulatus edere cogeretur. Dicti verò dolores modò crus unum, modò alterum; nonnunquam utrumque lacessebant, tantâque celeritate, ut intrà unius horæ spatium, doloris ab uno ad alterum, & sic reciprocus vicies fieret transitus Temperamentum gerebat pituitoso-sanguineum, festivam mentem, corpus obesum. Sanguis recens detractus erat viscidus, *Inflammatorius*. Remissâ febre, coactam alvum subduxit Enema ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. Prisana parata est ex radicibus Graminis & Orizâ.

Die

Die 29. manè, mitissimam febrem (sicut fieri consueverat) deprehendi; sed ut exacerbationi futuræ consuleretur, ductæ sunt è brachio ℥. sanguinis xij. Deindè, ut fluidorum acrimonia obtunderetur, sicque Rhumatismo-spasmodici dolores sedarentur, Emulsionem sequente modo parandam descripsi:

℞. Semin. iv. frigid. contus. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. vj.
Syr. viol. ℥. j. ß.
In decocti ex radic. Nymph. parati ℔. iij. f. s. a. Emuls.

Tempore meridiano febris increbruit; memoratique dolores pari sævitià ægrotantem invasêre. Eâ autem remittente, Clyster immissus est ex decocto emolliente & Mellis de Mercuriali ℥. iv. Horâ decimâ serotinâ julepum uno haustu sumendum exhibuimus:

Aquar. Lactuc. & Nymph. ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥. j. pro dosi.

Placida nox & sine labore fuit.

Die 30 manè, Catharticam potionem exhibere cupiebam, liquidum autem purgans fastidiebat æger; sub Opiatæ formâ recusabat: itaquè in Emulsionis ℔. ß. dedimus pulveris de tribus ʒ. j. Uberrimè dejecit: levior fuit febris exacerbatio; placidissimumque somnum conciliavit julepus priori simillimus.

Die Octobris ultimâ, febris & dolores rursùm sæviêre; Emulsionem pro potu, & Enemata simplicia præscripsi.

Die primâ Novembris, potavit æger Apozemata sequentia, singulis ternis horis, Emulsione non omissâ.

℞. Bugloss. Borrag. Cichor. & Ceræfol. ana M. ß.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
In Colar. misce Cortic. Peruvian pulver. ʒ. iij.
Et dilue Syr. Corall. ℥. j. f. Apoz. ad tres doses.

Febris insigniter remisit: nil novi tentatum est. Vesperè immissum est Enema ex furfuris decocto & Mellis viol. ℥. iij.

Die 2. & 3. tres pariter similium Apozematum doses hausit æger; febris & dolorum nulla labes percepta est: dieque 4. vir convalescens purgatus est sicuti die Octobris 30.

OBSERVATIO XV.

DIe 4. Novembris 1726. accivit me nobilis vir Dominus * * * annos natus 38. tribus abhinc diebus continuâ febre tentatus. Capitis gravitatem; circà renes autem diros patiebatur dolores, æstusque exæstuabant: tumebat venter, spontaneis lassitudinibus jactabatur ægrotans; al-

erat adſtricta, pulſus profundus, durus, rubicunda facies; quædam ex intervallo nauſeæ premebant. Temperamentum erat bilioſum, moroſa mens, laboris amans, corpus gracile. Hâc die miſſæ fuerant è brachio ℥. ſanguinis xij. inflammationem denotabat ſanguinis detracti color. Horâ igitur 8. veſpertinâ, quâ acceſſi; ut imminens viſceribus *inflammatoria ſtaſis* diverteretur, ſimilis quantitas ſanguinis è brachio rursùm ducta eſt; horiſque tribus elapſis, injectum eſt Enema ex temperante decocto. Ptiſana parata ex decocto Graminis & Orizæ.

Die 5. manè, ſimilis erat ardor, abdominiſque tumor idem. Clyſter injectus eſt ex decocto fol. Maluæ, Mercurialis & Parietar. additis Mellis de Mercuriali ℥. iij. Sub veſperum alter ex eodem decocto, melle omiſſo. Tribus hâc die febris exacerbationibus æger vexatus eſt; proximâque nocte æſtu & febre jactatus.

Die 6. manè, temperatus eſt renum ardor, nullaque eruptio maligna viſa eſt metuenda. Itaque immiſſum eſt Enema ex fol. Maluæ & Mercurialis, additis Nymphati Mellis ℥. iij. Deindè Cyathim potandam præſcripſi ſequentem Emulſionem:

℞. Semin. iv. frigid. major. ʒ. j.
Semin. Papaver. albi ʒ. j. ß.
Amygd. dulc. Excortic. N°. vj.

Seri lactis ℔. ij.
Syr. Nymph. ℥. ij. f. ſ. a. Emulſ.

Nauſeæ multæ laborantem tentaverunt: imò & ſemel bilis porraceæ mediocrem vomitu reddidit quantitatem Serò Enema fuit injectum ex aquâ ſolâ. In proximum verò diem Catharticum præſcripſi;

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j.
In ſeri lactis ℔. j. ß. f. ſ. a p. lax. in tres doſes diſtrib. & tertiâ quâque horâ exhib. juſculis intermediis.

Die 7. duabus horis ab aſſumptâ priore doſi purgante, uberrimam viſcidæ & porraceæ bilis quantitatem evomuit æger, ſimilique copiâ dejecit. Febris ab humorum exagitatione increbruit; noctem verò tranquillam ægro dedit julepus:

℞. Aquar. Lactuc. & Nymph. ana ℥ j. ß.
Syr. Nymph. & Diacod. ana ℥. ß. f. julep.

Die 8. manè, perſeverabat febris, ſed quidem remiſſa. Immiſſus eſt Clyſter ex purgantis Magmate. Dein totâ die, Cyathim hauſit æger ſeri lactis ℔. ij. & Syr. viol. ℥. j. ß. Febris autem intermiſit ab horâ decimâ matutinâ, ad undecimam ſerotinam, quâ exarſit. Paratus eſt julepus priori ſimilis, & quamquam ſomno non indulſerit æger, tranquillè nihilominus placidèque noctem traduxit.

Die 9. manè, nullam febrem deprehendi : Clyster injectus ex aquâ solâ ; Apozemata parata sunt :

℞. Folior. Bugloss. Borrag. & Cichor. ana M. ß.
Cortic. Peruvian. contus. ℥. ß.
Syr. Corall. ℥. ß. in aq. ℔. j. ß. f. s. a. Apoz. ad tres doses quartâ quâque horâ sumendas.

Porrò horâ ejusdem diei post meridiem secundâ, levis horror ægrum corripuit, ingens subsecutus est calor ; febris tandem sudore critico discussa est.

Die 10. similia parata sunt Apozemata. Febrilis paroxysmus ægrum invasit horâ post meridiem octavâ, quievit autem horâ matutinâ quintâ, sed levis fuit vigor.

Die undecimâ, liquida fuit alvus, sponteque mediocrem egessit flavi liquoris quantitatem. Repetita sunt Apozemata, sed Cortic. Peruvian. contus. loco, præscripsi ejusdem pulveris ℈. iv. in unâquâque dosi. Enema vesperè fuit injectum ex aquâ solâ. Febriculâ tentatus est æger. Similia facta sunt die 12. Febris ex toto quievit.

Die 13. Tenera erat alvus, sed ut quò natura vergebat eò duceretur ; purgationem instituimus :

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. Amygd. dulc. ℥. ij. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Incredibili copiâ ventrem exoneravit vir convalescens.

Die 14. Eadem & simili haustuum numero resumpsit Apozemata. Duas autem doses diebus 15, 16 & 17.

Die 18. Ultimè purgatus est:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de pom. comp. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. haustus.

Res prosperrimè gestæ sunt: diebus 19, 20 & 21, unam dosim febrifugam assiduè sumpsit; sicque firmam sanitatem recuperavit.

OBSERVATIO XVI.

DIe 20. Januarii 1727. meum inclamavit auxilium nobilissima D. * * * febre continuâ, æstu ingenti, corporis jactationibus, nauseabundisque conatibus stipatâ sex abhinc diebus laborans. Pulsus erat turgidus, frequens, inæqualis. Corpus gerebat obesum, quadratum, mentem hilarem, suavissimos mores, temperamentum sanguineo-biliosum. Semel è brachio missus fuerat sanguis. Tentatam à naturâ viam tunc secutus essem, Emetico laxantem scilicet potionem exhibendo, nî urgentiorem à capitis dolore, gravitate, interdùm & sopore indicationem morbus protulisset. Timendum enim veniebat, ne vasa sanguine tùm redundante, tùm effer-

veſcente tumentia, ab Emetico temerè adhibito, vel nimiam dilatationem, vel ruptionem paterentur; vel denique à commotis ſolidis, fluidiſque perturbatis delirium accederet. Ut ergo ſanguinis quantitati & motui conſuleretur, illicò ductus eſt è ſaphenâ ſanguis ad pondus ℔. j. Ptiſana fuit ex decocto radic. Gramin. Sub veſperum, immiſſus eſt Clyſter ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. Noctem duxit inſomnem, remiſsâ licet febre.

Die 21. Mitiora quidem erant ſymptomata; perſeverabant autem vomendi conatus ori amaritiem afferentes. Quapropter duæ doſes tribus interjectis horis ſumendæ illicò paratæ ſunt:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. f. colat. in duas doſes diſtrib.
In priore diſſol. Sal. Stib. g̃. iij.
In alterâ, Mellis aërei ℥. ij.

Uberrimam viſcidæ & flavæ colluviei copiam vomitu ſine labore reddidit, pariterque ſeceſſu; fluida verò moles temperata, alvuſque laudabiliter ſubducta victu humectante & diluente; juſcula enim parata ſunt ex vitulinâ carne & gallinaceo pullo. Placida nox proxima fuit.

Die 22. Paucam agnovi febrem, ne minimæ quidem ventriculum tentabant nauſeæ. Immiſſum eſt Enema ex fol. Verbaſci decocto. Diæta eadem eſt inſtituta.

Diebus 23. & 24. Ut ſuperſtes ardor ſedaretur, Emulſiones fuerunt ſic compoſitæ:

℞. Semin. iv. frigid. major. ℥. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. vj.
Contund. & affund. aq. commun. ℔. iij.
In colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ß. f. Emulſ. Cyathim alternis horis exhib. Non omiſſo quotidiè Enemate ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 25. Catharticam potionem hauſit convaleſcens:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Catholic. duplic. ʒ. vj. in ſ. q. aq. f. hauſtus.

Quam amiſerat ſanitatem, intrà paucos dies recuperavit. Ut hæc intereà firmaretur, Bolum ſequentem, quo ventriculus alimenta faciliùs & promptiùs concoqueret, quotidiè per quindecim dies devorandum præſcripſi:

℞. Cortic. Peruvian. pulver. ℈. j.
Rhei, ℈. ß.
Cum ſ. q. Syr. de Abſynth. f. bol.

Monitis obtemperavit, neque ulla vel laborantis, vel imbecillis ventriculi labes remanſit.



OBSERVATIO XVII.

DIe 13. Martii 1727. advocavit me Dominus *** Alutarius, in auxilium discipuli sui, annos nati 18. febre continuâ malignâ laborantis, delirio, abdominis inflammatione, alvi adstrictione, capitis dolore, aliisque atrocibus stipatâ symptomatis. Scintillabant oculi, corpus præ insigni inflammatione tumebat, lingua nigrescebat; parùm & difficilè fluebat urina; mox stertebat æger, mox crebrâ commotione corpus concutiebatur. Temperamentum erat bilioso-sanguineum, obesum corpus & quadratum, morosa mens. Fuerat morbo correptus die Martii 8. venæ sectionem ter in brachio celebraverat Chirurgus; varias purgationes instituerat: symptomatum verò sævitia, remediorum virtutem superaverat. Itaque ponderatis ponderandis, secta est illicò saphena, ductaque ℔. sanguinis j. Pro potu paratæ sunt Emulsiones:

℞. Semin. Melon. ℥. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. x.
Decocti ex radic. Nymph. ℔. iv.
Syr. viol. ℥. ij. f. s. a. Emuls.

Nihil ultrà tentavi, quoniam advesperascebat.

Die 14. manè, mitigatus videbatur ardor, minùs arida cutis, liberior fluebat

urina; febris autem ſimiliter ægrum cruciabat. Subſecuturæ venæ ſectioni viam paravit miſtura ſequens:

♃. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Follic. Senn. ℥. ij.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Stib. g̃. iv.
In aq. ℔. ij. f. ſ. a. p. in quatuor doſes diſtrib. & quartâ quâque horâ exhib. juſculis intermediis.

Juſcula vero conficiantur ex duabus vitulinæ carnis partibus, unâ bubulæ & gallinaceo pullo, cui probè exenterato adde ſemin. iv. frigid. contuſ. ℥. j. ß. f. juſculorum ſ. q. per ſpatium 24. horar. exhib. Alvus abundè ſubducta eſt; paululùm remiſit febris.

Nota 1°. quòd priorem ſaphenæ ſectionem celebrari juſſerim, propter ſtertorem, & intercurrens delirium; ac ut rigidæ flecterentur fibræ, proindèque miniſtranda purgatio fieret efficacior.

2°. Quòd poſteà laxantem potionem exhibuerim, ne ex congeſtis ac fermenteſcentibus vitiatis humoribus vapores ad caput magis aſſurgentes delirium accenderent; vel ex ſecundâ ſaphenæ ſectione poſt priorem citò factâ, majus obſtructis partibus onus imponeretur.

Nota inſuper, quòd febrium malignitas non ſemper ab eruptione macularum vel

tuberculorum ortâ aut imminente desumatur, sed à morbi sævitiâ & atrocitate. In priore casu, diaphoretica, roborantia conveniunt, frigida raró: in posteriore veró, purgantia, emetica, refrigerantia: calida nonnunquam, sed non semper. In uno enim natura hostis expulsionem tentat à centro ad circumferentiam: altero autem pori fermè semper occluduntur, nec aliundè quàm per vomitum & secessum causa morbi proturbari potest: pri s ut plurimùm, vel aliquando posteà, sufficienti factâ vasorum exinanitione.

Die 15. manè, febris exacerbationem noctu accessisse narravit ægri custos. Pulsum deprehendi durum; plenum, frequentissimum, cutem sine vero sudore madidam. Laborans erat ex intervallo delirus; venter rursùm intumuerat. Rursùm ergo missæ sunt è saphenâ ℥. sanguinis xij. Emulsiones compositæ prioribus similes. Sub vesperum immissus est Clyster ex emolliente decocto, Mellis Nymphati ℥. iij. & Elect. Lenit. ℥. j. Noctu remisit febris, rationis compos firmiter factus est æger.

Die 16. Naturam biliosas dejectiones imperfectè molientem adjuvit Apozema laxans priori simile, omisso Sale Stib. Jam veró spei dabatur locus. Similiter actum est die 17.

Die 18. Omnia prosperrimum pollice-

bantur exitum. Quapropter abstinuit æger à quâvis potione purgante: Clysteres immissi sunt ex emollien e decocto; in quo, sub vesperum, dilutæ sunt Mellis de Nymphæâ ℥. iv. eidem viæ inhæsimus die 19.

Die 20. Cùm post levem intermissionem febris exarsisset; Apozema febrifugo laxans sic compositum est:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Cortic. Peruvian. contus. ʒ. iij.
Mellis aërei, ℥. iij.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℔. j. ß. f. ex arte tres doses, tertiâ quâque horâ sumend. juscul is intermediis.

Eodem modo res gestæ sunt die 21. quo quidem febris radicitùs fugata est.

Die 22. immissa sunt Enemata; unum scilicet manè ex aquâ solâ, alterum vesperè, cum Mellis viol. ℥. iij. Apozema simpliciter febrifugum fuit, omisso Manna & Syrupo. Similia gessimus usque ad diem 25. quo quidem sequens fuit instituta purgatio:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Epsomiens. ʒ. ij. in s. q. aq. pro dosi.

Die 26. Clyster immissus est ex Siliq.

Ægypt. contuſ. ℥. iv. in lactis ſero decoctis. Quanquam à morbo convaleſceret adoleſcens, eum monui, ut ſequentem Opiatam quotidiè ſemel ſumeret, non ſolùm ut à febre præcaveret, ſed & alimentorum coctioni faveret:

℞. Cortic. Peruvian. pulver. ʒ. vj.
Rhei, ʒ. ij.
Cum ſ. q. Syr. de Abſynt. f. Op. ad pondus ℈. iv. quotidiè ſub formâ boli voranda.

Expectationi reſpondit propoſita methodus.

OBSERVATIO XVIII.

DIe 14. Martii 1727. accerſivit me nobilis Domina *** ut auxilium ferrem filiæ ſuæ, annos natæ circiter undecim, in Monaſterio ſanctæ Magdalenæ (vulgò *les Trenels*) commoranti. Febre continuâ malignâ delirio intercurrente ſtipatâ laborabat: Tres uno die, aliquando quatuor, febris exacerbationes patiebatur. Alvus erat adſtricta, tumidus venter, lingua nigricans & aſpera; temperamentum autem biliofo-ſanguineum, feſtiva mens & fervida, corpus gracile: morbi dies hic erat tertius; ſemel è brachio ductus fuerat ſanguis ad ℥. circiter ix. Rurſùm ego mittendum ſanguinem è brachio judicavi; nec ſibi quoad inflammationem

mentitus est cruoris detracti color Ptisana parata est ex decocto radic. Graminis & Orizæ. Sub vesperum infusus est Clyster ex emolliente decocto & Mellis de Nymphæâ ℥. iij. Ut autem molestæ tussi consuleretur, parata est hæc potio Cochleatim potitanda :

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Adde Syr. Capil. vener. ℥. j. ß. f. p.

Die 15. manè, respiratio difficillima visa est ; sputa cruentata fuerunt, omniaque ita se habuêre, ut jam peripneumonicam ægrotantem, febre malignâ simul tentatam agnoverimus : Cutis erat sicca, rubicunda facies, pulsus profundus, frequens, interdùm intermittens. Tertiò secta est vena in cubito, ductæque sanguinis ℥. xij. parata est potio sequens uno haustu sumenda :

℞. Aq. Card. bened. & Scorzoner. ana ℥. j. ß.
Confect de Hyacint. ʒ. j.
Sang. Ibicini g̃. xv.
Syr. de Tunicâ, ℥. ß. f. p.

Medio die, copiosissimo sudore perfusa est ægra : facilior facta respiratio. Vesperè autem adstrictam alvum subduxit Enema priori simile. Noctu tamen bis exarsit febris.

Die 16. Cùm venter insigniter tumeret, & vapores à fermentescentibus stercori-

bus ad caput assurgentes, menti & ratiocinio noxam afferrent; solutæ sunt Manna ℥. ij. ß. in aq. ℔. ß. in colat. dilutæ sunt Ol. amygd. dulc. ℥. ij. dejectiones uberrimas adduxit potio laxans; semelque hoc die febris increbruit. Sub vesperum, sudore legitimo maduit ægra; nec ideò noctem proximam tranquilliorem traduxit.

Die 17. Sputum edebat facillimè, & rarò cruentatum. Oleosam potionem assiduè potitavit, & tertiâ quâque horâ sumpsit quæ sequuntur Apozemata:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. ana M. ß.
Hederæ Terrest. p. ij.
Flor. Tussilag. p. j. Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In colat. dilue Syr. viol. ℥. j. f. s. a. Apoz. in tres doses distrib.

Alvus pro votis soluta est, febris quoque remisit

Die 18. Noctem insomnem duxerat ægrotans, summoque manè febris exarsit: caput fuit gravatum, oculi fermè occlusi, mens sæpissimè delira, pulsus profundus, intermittens, venter durus & tumidus: mors denique foras pulsare credebatur. Similia parata sunt Apozemata: similiter laxata est alvus. Verùm horâ pòst meridiem tertiâ, purpurascentem viderunt adstantes ægræ vultum; hanc animi defectio

bis habuit; ſtatimque murmur parvi ſclopeti (gallicè *piſtolet*) ſonum æmulans auditum eſt, & uberrima cruentati puris quantitas per dextram aurem defluxit: Paulòpoſt naturalis rediit faciei color, mitigata eſt febris, quæ tamen horâ ſerotinâ ſeptimâ rursùm increbruit. Quamobrem cohortati ſunt me parentes, ut proximam noctem in Monaſterio pervigilarem. Tenue veteris lardi ſegmen oleo liliorum imbutum in aurem immiſi: poſteà goſſipii lanuginem oleo ſimili madentem appoſui, ut purulentus liquor faciliùs alliceretur. Juſcula parata ſunt ex carnis vitulinæ duplâ quantitate, unâ bubulæ, & gallinaceo pullo.

Die 19. abſtinuit ab Apozemate; Clyſter immiſſus eſt ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iij. in aq. decoctis. Horâ verò decimâ matutinâ, ſimilibus ſymptomatis ſævientibus, per ſiniſtram aurem pus erupit. Febris poſteà multùm remiſit, abdomen detumuit.

Die 20. æſtum quo flagrabat ægra, compeſcuerunt Emulſiones ſic inſtitutæ:

℞. Semin. iv. frigid. major. ʒ. vj.
Semin. Papaver. albi, ʒ. ß.
Amygd. dulc. Excortic. N°. iv.
Contund. & affund. aq. ℔. ij. ß.
In colat. dilue Syrup. viol. ℥. j. f. Emulſ.

Veſperaſcente die, Clyſter infuſus eſt

præcedenti ſimilis ; nulla febris exacerbatio rediit , laudabilis per aures ſuppuratio ſervata eſt. Paululùm noctu requievit ægra.

Die 21. facta ſunt ſimilia quæ pridiè. Salutis certa ſpes affulſit. Ut autem legitimus revocaretur ſomnus , ſequentem julepum exhibuimus :

℞. Aq Portulac. ℥. iij.
Syr. Diacod. ℥. ß. f. jul.

Die 22. ad Catharticum confugimus :

℞. Mellis aërei , ℥. ij. ß.
Diſſol. in aq. ℥. vj.
In colat. dilue Syr. de pomis comp. ℥. j. f. hauſtus.

Alvus abundè ſubducta eſt : mitis totâ die fuit febris.

Die 23. Emulſiones ſumptæ fuerunt,immiſſum etiam Enema ex furfuris decocto. Similiter diebus proximè ſecutis.

Die 26. purgata eſt convaleſcens puella :

℞. Mellis aërei, & Medull. Caſſ. mund. ana ℥. j. in aq. ℥. vj. pro doſi ſ. a. paranda.

Ex morbo itaque convaluit , & die Julii 5. tam perfectè expurgatæ ſunt aures , ut ſuppurationis nulla labes remanſerit.



OBSERVATIO XIX.

DIE octavâ Julii 1727. curandam suscepi conjugem Domini *** Regis Consiliarii, & in Castelleto Parisiensi Tabellionis, annos natam 56. Temperamentum gerebat sanguineo-biliosum, ferventem animum, corpus obesissimum. Aderat febris continua, spiritus angustiis, capitis vertiginibus, artuum torpore stipata. Pulsus erat turgidus. Ductæ sunt statim ℥. sanguinis xij. è brachio Ptisana parata est ex radic. Gramin. Althææ & flor. Papaver. errat. in infuso. Ad vesperum immissus est Clyster ex emolliente decocto & Mellis de Mercuriali ℥. iij.

Die 9. Similiter omnia se habebant : mitior tamen erat febris. Ductus est sanguis è saphenâ ad ℔. j. Sub vesperum injectum est Enema ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. in lactis sero decoctis. Remisêre symptomata.

Die 10. immissa sunt Enemata, in quorum uno dilutæ sunt Mellis Nymphati ℥. iij. Alvus priùs adstricta & tumens, tunc libera & mollis facta est.

Die 11. vi formulæ sequentis purgata est ægra :

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℔. ß.
f. &c.

Expectationi respondit Catharticum. Febris radicitùs fugata est.

Die 14. Rursùm instituta est purgatio.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. q. s. in aq. ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In colat. dilue Syr. viol. ℥. j.
Et aq. Naphæ s. q. ad gratum odorem. F. p. lax. ad duas doses tribus interpositis horis exhib. jusculo intermedio.

Die 16. depulsis omnibus morbi symptomatis, convalescentem monui, ut quindecim diebus continuis, uteretur balneis domesticis. Monito obtemperavit: deindè sic ultimò purgata est:

℞. Follic Senn. ʒ. j. ß.
Rhei, ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. veget. ʒ. j. in aq. ℔. j. f. ex arte p. ad duas doses.

OBSERVATIO XX.

Die 14. Novembris 1727. accivit me nobilis vir Dominus *** annos natus 48. febre duplici-tertianâ-continuâ jam à quatuor diebus immaniter cruciatus. Hunc acerrimi dolores capitis torque-

bant : nonnunquam delirium lacessebat ; sæpiùs ab internâ inflammatione & redundantium humorum fervidâ fermentatione, tormina ventris excruciabant ; laboriosa denique vigilia perennis crebrâ commotione corpus concutiebat. Temperamentum erat sanguineo-biliosum, mens festiva, quadratum corpus & obesum. Semel in brachio secta fuerat vena ; nihil insuper tentatum. Illicò missus est sanguis è brachio ad ℔. fermè unam : horisque tribus elapsis, injectus est Clyster ex Siliq. Ægypt. contus ℥. iv. & Crystall. miner. ʒ. ij. Pro potu ordinario, decoctum pulli gallinacei, & Semin. iv. frigid. major. Declinante in vesperum die, missæ sunt è saphenâ ℥. sanguinis xij. Noctu paululùm remisêre symptomata.

Die 15. frequentes aderant desidendi conatus ; quodque egerebatur, paucum illud, biliosum, & cum quodam ægrotantis levamine egerebatur. Idcircò sequens Apozema statim paratum est :

℞. Folior. Buglosf. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Epsomiens. ℥. ß.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. ß. f. s a. Apoz. in tres doses distrib.

Liberaliter alvus sudućta est : febris tamen sub vesperum exarsit.

Die 16. Tantillùm detumuerat abdo-

men, febris remiſerat. Itaque relaxatis à priore Catharticâ ſorbitione fibris, ad potentius laxans hâc methodo confugi; nauſeabundus enim ſæpiſſime fuerat æger:

℞. Follic. Senn. ℥. j. ß.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. f. colat. ad tres doſes.
In primâ diſſol. Sal. Stib. g. iij.
In ſecundâ Sal. ejuſdem g. j.
In tertiâ Mellis aërei, ℥. ij. & Syr. de Cichor. comp. ℥. j.

Tertiâ quâque horâ; juſculo intermedio, datæ ſunt doſes. Uberrima & facilis supernè & infernè humorum exinanitio facta eſt; leviſque febrilis exacerbatio rediit. Ut ergo quies amica revocaretur, vires recrearentur, julepum horâ decimâ ſerotinâ ſumendum deſignavi:

Acuar. Lactucæ & Portulacæ ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥. vj. f. jul.

Neque ſomno fuit recreatus æger, neque crebris commotionibus corporis fatigatus.

Die 17. Urgentioribus quidem conſulueram; ſed febris exacerbationibus licèt levioribus ſtipata perſeverabat: pulſus non tam profundus erat, ſed adhuc turgidus. Quapropter ſanguinis ℥. xij. è brachio ductæ ſunt. Enema veſperè immiſſum eſt ex furfuris decocto & Mellis Nymphati,

℥. iij. Nox tranquillior fuit; venter tamen palulùm intumuit.

Die 18. ſequens inſtitutum eſt Apozema:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana. M. j.
Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. vj.
Sal. Polychreſti Rupellenſ. (vulgò *de Seignette.*) ℥. vij. hoc eſt juxtà pondus quod mittitur (gallicè *un pacquet.*)
Syr. viol. ℥. j. ß. in ſ. q. aq. f. ex arte Apoz. febrifugo-lax. in quatuor doſes diſtrib. & ſingulis ternis horis exhib.

Similiter actum eſt ad diem uſque 21. quo febrifugum ſequens priori ſuffectum eſt, quia febris intermiſerat; alvus pro votis erat libera, omniaque remiſerant ſymptomata.

℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. j.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. ij.
Colaturam affunde ſuper Semin. iv. frigid. ℥. v.
F. denuò Colat. in quinque doſes diſtrib. & quartâ quâque horâ ſumend.

Eandem tenui viam uſque ad diem 29. quo vi formulæ ſequentis purgatus eſt vir convaleſcens:

℞. Follic. Senn. & Rhei, ana ℥. j.
Mellis aerei, ℥. ij. ß.

Sal. Glauber. ℥. j. in aq. ℔. ß. f. haustus.

Uberrimam colluviem dejecit, febrisque radicitùs fugata est: attamen quotidiè ter sumpsit Cortic. Peruvian. pulver. ʒ. j. usque ad diem decembris decimum.

Die Decembris decimo, nullam febris tentationem perceperat, sed ab oris amarore cibos fastidiebat. Hunc ergo monui, ut horâ prandii, pulverem sumeret ex Cortic. Peruvian. & Rhei, ana ℈. j. Enema quoque ex furfuris decocto sibi sineret immitti, cui, altero quoque die diluerentur Mellis Nymphati ℥. iij. Hæc omnia facta sunt ad diem usque vigesimum-tertium, quo validam firmatamque sanitatem agnoscens, accepti beneficii gratum se memorem præbuit.

OBSERVATIO XXI.

Die 29. Aprilis 1728. vocatus sum auxilio Domini *** annos nati 34. febre tertianâ-duplici-continuâ à diebus octo laborantis. Ad hunc verò diem habuerat adjutorem quemdam virum qui sponte ab ægroto recesserat non rediturus. Febris quotidie sub vesperum, præeunte quodam horrore sæviebat immaniter, quam subsequebatur horâ scilicet remis-

tum lingua colore flavo donata & arida, ſcintillantes oculi, pulſus poſt tertiam licèt venæ ſectionem in brachio factam, turgidus, frequens & inæqualis, venter tumidus & alvus adſtricta. Temperamentum autem bilioſo-ſanguineum, ſollicita mens & fervida. Statim è brachio miſſus eſt ſanguis ad ℥. circiter xij. maximè quidem inflammatorius. Pro potu paratum eſt decoctum pulli gallinacei & Semin. frigid. Veſperè infuſum fuit Enema ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. Horâ autem ſerotinâ decimâ, ſimili quantitate ſanguis è brachio ductus eſt: inflammatoriuſque ſicut prior fuit deprehenſus.

Die trigeſimo, liquidam alvum tenuerunt Enemata. Diù remiſit febris, cujus exacerbatio tamen ægrum valde commovit horis circiter tribus.

Die 2. Maii, bilioſam illuviem parùm & moleſtè fundebat alvus; hæcque exinanitio nocturnam quietem non mediocriter deturbaverat: quamobrem ſequens fuit adminiſtrata purgatio:

℞. Mellis acrei, ℥. ij ß.
Ol. Amygd. dulc ℥. ij. in aq. ℥. vj.
f. hauſtus.

Uberrimæ fuerunt dejectiones, febriſque diù & inſigniter remiſit; cujus exacerbatio benigna declinante die viſa eſt.

Die 2. manè, poſt immiſſum Enema priori

priori ſimillimum, unam doſim ex ſequentibus potitavit ægrotans: cæteras, horis tribus interpoſitis, juſculo intermedio ſumpturus:

℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. vj.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. ß.
F. colat. quam affund. ſuper Semin. iv. frigid. contuſ. ʒ. vj.
F. iterùm colat. in iv. doſes diſtrib.

Diebus 3, & 4. ſimilia facta ſunt, exitu fauſtiſſimo; febris enim intermiſit, & tertiana ſimpliciter remanſit.

Die 5. parta eſt miſtura ſequens:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in ſeri lactis ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ad duas doſes.

Alvus copioſè ſubducta eſt; nullâque febris tentatione correptus eſt convaleſcens; febris tandem ex toto quievit. Verumtamen febrifugam Emulſionem præſcripſi ad diem uſque decimum; quo pulverem ſequentem in unâ & alterâ jurulenti panis offâ, horà prandii exhibuimus ut extincta cibi cupido ſtimularetur:

℞. Cortic. Peruvian. ʒ. ß.
Rhei, g̃. xx. f. pulvis quotidiè repetendus, donec prohibeatur.

Huic viæ inhæſimus ad diem uſque 24. quo firmam ſe recuperaſſe ſanitatem cognovit vir clariſſimus.

OBSERVATIO XXII.

DIE 3. Maii 1728. advocavit me Domina *** annos nata 32. febre continuâ laborans. Jam à longo tempore dolores in ſiniſtrâ mammâ ad axillam ſeſe extendentes, affectumque cancroſum minitantes ex intervallo patiebatur. His tandem ſine intermiſſione tam acriter fuit excruciata, ut ad eam quam faſtidiebat, citò confugerit Medicinam. Inſignis erat glandularum infarctus, reſpiratio difficilis, capitis gravitas, oculorum caligo, torpor artuum, febris acuta, æſtus ingens, pulſus profundus, durus, ſubindè intermittens. Temperamentum autem ſanguineo-bilioſum, moroſa mens, corpus gracile, flavo colore, etiam in ſtatu ſano, perfuſum. Secta eſt vena in cubito miſſuſque cruor ad ℥. ix. nec ultrà; habitâ ſcilicet virium imbecillium & ſubſecuturæ ſaphenæ ſectionis ratione. Potus inſtitutus eſt ex pulli gallinacei & ſemin. frigid. decocto. Enema immiſſum eſt ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. ſolâ verò ſorbitione vixit ægrotans. Parti dolenti admota ſunt Cataplaſmata ex micâ panis, lacte & croco parata.

Die 4. manè, miſſæ ſunt è ſaphenâ ℥. ſanguinis circiter xij. ne ſanguis ad affe-

ctum locum tantâ copiâ apelleretur. Cætera simili ordine fuerunt administrata. Tantillùm remisit morbi sævitia.

Die 5. benignior fuit febris; quies mediocris ægram recreavit: expectationi responderunt Cataplasmata. Infusus est Clyster manè priori similis; alter sub vesperum ex furfuris decocto, & butyri recentis ℥. ij. ut quædam ventris tormina ab humore acri, bilioso glutinosâque mordaci colluvie, parum & frequenter fluentibus procreata sedarentur. Adimpleta sunt vota.

Die 6. quò natura vergebat, eò sic ducta fuit:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. ℥. vj. f. haustus.

Catharticum licet levissimum uberrimas nihilominus dejectiones adduxit, exsurgente indè summo ægrotantis levamine.

Diebus 7, & 8. nil novi tentatum est: immissa sunt Enemata emollientia. In diem verò nonum potionen Catharticam præscripsi:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. viol. ℥. j. in seri lactis ℔. j. f. s. a. p. in duas doses distrib.

Febris ex toto quievit: imò & ex memoratis symptomatis nullum residuum

percepit convalescens. Quapropter,

Die 11. balneis domesticis usa est: huicque inhæsit viæ ad diem usque 27. quo catameniis legitimo tempore prodeuntibus tentata est. Spectator ergo fui, non actor.

Die 2. Junii, ad lactis usum sic præparata est:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Catholic. duplic. ℥. ß. in s. q. aq. pro dosi.

Die 4. lacte asinino usa est, Vinceniasque petiit, ut liberiorem captaret aërem, negotiisque minùs detenta, sanitati sine curà cumulum adderet. Lutetiam aurem reversa est, declinante Augusto, firmissimis viribus gaudens.

OBSERVATIO XXIII.

DIe 13. Januarii 1729. in auxilium suum invocavit me Dominus *** Pictor illustris, annos natus 64. Quatuor jam febris tertianæ duplicis continuæ accessiones, horrore quodam prævio & ardore succedaneo stipatas passus erat; cujus imminebat quinta. Semel è brachio sanguinem miserat Chirurgus dexterrimus. Temperamentum erat bilioso-sanguineum, festiva mens, laboris & sobrietatis amans, corpus gracile. Ptisanam institui ex fol. Capillor. flor. Tussilag. & radicibus Grami-

nis. Veſperaſcente verò die, ſæviente ſcilicet paroxyſmo, ſanguis rurſùm è brachio ductus eſt ad ℥. xij. hujus detracti color erat ex flavo-albicans, conſiſtentia ſolida, ſine ſero. Inſomnis & jactatus pernoctavit æger.

Die 14. Remiſsâ, febre, ſudor ubertim emiſſus eſt; ſputa tantillùm cruentata viſa ſunt; concomitante tuſſiculâ, necnon aliquantulâ ſpirandi difficultate. Durè & perobſcurè pulſabat arteria; vires autem erant obrutæ, non exhauſtæ. Sanguis ergo miſſus eſt è brachio ad ℥. xij. Juſcula confecta ſunt ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, & gallinaceo pullo. Sanguinis educti color priori reſpondit, ſupernatante bilioſo liquore. Die medio infuſum eſt Enema ex decoctis Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. Cochleatim potionem ſequentem potitavit æger:

♃. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.

Diſſol. in Ol. amigd. dulc. ℥. v.

Adde Syr de Althæâ, ℥. j. f. p.

Levior fuit febris acceſſus, ſudor ſimiliter copioſus: cætera remiſêre ſymptomata.

Die 15. Novem olei amygd. dulc. ℥. intres doſes diſtrib. exhihuimus ægro; quas quidem horis tribus interjectis per vices exhauſit. Alvus abundè ſoluta eſt, accedentibus indè viribus. Porrò febris intermiſit ab horâ ſecundâ pomeridianâ,

ad octavam proximam; quâ, ſine horrore, mediocriter tentavit ægrum, & abſque ſudore diſcuſſa eſt horâ tertiâ matutinâ.

Die igitur 16. intermiſſionis tempus arripuimus, ut vi formulæ ſequentis æger purgaretur:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amigd. dulc. ℥. ij.
Aq. Naphæ ſ. q. ad gratum odorem;
In aq. ℔ ß. f. hauſtus.

Laudabili tùm quantitate, tùm qualitate dejecit æger, quem tamen cum modico frigoris ſenſu febris invaſit horâ nonâ ſerotinâ, nec deſiit, niſi horâ ſextâ matutinâ. Noctem inſomnem, non laborioſam traduxit æger.

Die 15. manè, ſputa deprehenſa ſunt copioſa, viſcida, rotunda, mox cinereo proxima, mox æruginoſa. Venter paululùm in molem aſſurgebat: tuſſis pulmones laceſſebat: indicantibus ſic ſatisfeci:

℞. Spermatis Ceti g̃. xx. f. doſis in juſculo tertiâ quâque horâ ſolvenda, & ſimiliter repetenda donec prohibeatur.

Potus autem ordinarius ſic inſtituatur:

℞. Fol. Capillor. vener. & flor. Tuſſilag. ana p. ij.
Bull. leviter in aq. ℔. v.
In Colat. adde Mellis Narbonenſis, ℥. ij.
Bull. iterùm ad remanent. ℔. iv.

Sub vesperum, immissus est Clyster ex furfuris decocto, & Mellis Nymphati ℥. iv. facilè excreavit æger; alvum sat exoneravit, rara fuit tussis, accessit levissima febris tentatio, mediâ scilicet nocte: somno tamen connivit ægrotans.

Die 18. Catharticam sumpsit potionem

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aerei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in seri lactis ℔. j. ad duas doses ex arte parandas.

Uberrimæ fuerunt dejectiones, tamque prosperè gesta sunt omnia, ut febris ex toto quieverit.

Die 19. injecti sunt Clysteres ex emolliente decocto, cum Elect. Lenit. ℥. j. Cochleatim usus est laudatus senex Oleo amigd. dulc. in cujus ℥. iij. diluta est Syr. Capillor. vener. ℥. j. Jurulentum panem concessimus horâ decimâ matutinâ; similiterque sextâ vespertinâ. Methodum eandem tenuimus die 20. recentis tamen ovi vitellum addidimus.

Die 21. Catharticam hausit potionem:

℞. Manna, ℥. ij. ß.
Dissol. in lactis vaccini, ℔. ß.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. f. haustus.

His itaque feliciter administratis, ad vaccini lactis usum confugit; manè scilicet experrectus, & vesperi in lecto cubans: firmamque sanitatem adeptus, om-

nes victûs angustias amovit die Februarii 5. quo quidem ultima fuit hæc instituta purgatio:

℞. Mellis aërei, ℥. j. ß.
Catholic. duplic. ℥. j. in aq. ℔. ß.
f. p. uno haustu sumenda.

OBSERVATIO XXIV.

DIE 17. Maii 1729. meam efflagitavit opem nobilis vir Dominus *** anos natus 60. febris eum primò invaserat die mensis ejusdem 15. cum dolorificâ totius abdominis, præsertim hepatis tensione. Corpus universum colore ex flavo nigricante in dies inficiebatur; os amarescebat, aderant spiritûs augustiæ, urinæ difficul, tas, linguæ siccitas & nigror, pulsus turgidus, modò elatus, modò profundus, nonnunquam intermittens: quæ quidem, intermissio non ab ætate provectâ, sed à malignitate morbi pendebat. Temperamentum erat biliosum, mens sollicita & in iram præceps, obesum corpus. Bis è brachio sanguinem miserat Chirurgus dexterrimus. Tertiam venæ sectionem in brachio præscripsi. Sanguis eductus quasi glutinosum crassamen fuit, crustosam superficiem membranæ (gallicè *parchemin*) simillimam deferens. Pro potu ordinario sequens decoctum paratum est:

℞. Pullum gallinaceum resectis extremis.
Semin. iv. frigid. contus. ℥. j. ß.
Bull. in aq. ℔. vj. ad remanent. ℔. iv.

Juscula verò parata sunt ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, & gallinaceo pullo. Ad vesperum, secta est 4°. vena in cubito ad ℔. sanguinis unam. Nec sibi mentitus est cruoris detracti color. Tumenti dolentique regioni admotum est fomentum ex emollientibus paratum, singulis ternis horis renovandum. Eodem ordine immissa sunt Enemata ex emolliente decocto, & Melle Nymphato. Legitimè soluta est alvus.

Die 18. periculum increvit, ita ut metueretur delirium, ægerque anhelus quasi præfocaretur. Illicò aperta est saphena, ex quâ, me præsente ℔. sanguinis defluxit. Parata sunt Apozemata, non omissis suprà descriptis:

℞. Fol. Bugloss. Borrag. Cichor. Ceræfol. & Scolopend. ana M. ß.
Fumar. & flor. Centaur. minor. ana p. ij.
Radic. Chelydon. major. ℥. j.
Bull. q. s. in aq. ℔ iij.
In Colat. dissol. Sal. Polychrest. Rupellen s. ℨ. vij. & dilue Syr. viol. ℥. j. f. Apoz. in sex doses alternis horis exhib. distrib. jusculis intermediis.

Uberrimæ dejectiones fuerunt, viſco-ſam & flavam illuviem referentes: paululùm detumuit venter, minimè dolorificum hepar deprehendi; nihilo tamen minùs, ex intervallo delirabat æger: noctem inſomnem duxit, febre ſemper ſæviente.

Die 19. manè, denuò ductæ ſunt è ſaphenâ ℥. ſang. xij. eandem viam quoad Enemata & Apozemata tenuimus. Sanæ mentis totâ die fuit æger, egeſſitque cumulatè. Ut autem amicâ quiete vires recrearentur, horâ decimâ ſerotinâ julepum uno hauſtu ſumpſit:

℞. Aq. Lactucæ, ℥. iij.
Syr. Nymphati & de Karabe ana ℥. iij. f. jul.

Noctu remiſit febris, tantillaque ſpes ſalutis affulſit.

Die 20. manè, febris exarſit, levioribus ſtipata ſymptomatis. Ab Apozemate abſtinuimus, ſequentemque miſturam in ejus locum ſuffecimus:

℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. j.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. iij.
Colat. affund. ſuper ſemin. iv. frigid. contuſ. ℥. ß.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ß. f. p. in quinque doſes diſtrib.

Febrifugum non exhibimus, niſi febre remittente. Sub veſperum, æger julepum priori ſimilem exhauſit. Eadem acta ſunt diebus 21, 22 & 23, non omiſſis manè

& serò Clysteribus, iisque laxantibus.

Die 25. ad sanitatem properare videbatur æger: abdomen intereà sine duritie aut dolore tumebat; viscosum autem & flavum humorem alvus fundebat. Catharticum præscripsi:

℞. Follic. Senn. ʒ. ij.
Rhei, ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
In aq. ℔. ß. f. s. a. p. uno haustu sumenda.

Die 26. Cyathim sumpsit æger infusionem Fumariæ p. ij. in seri lactis ℔. ij. addito Colaturæ Syr. viol. Vespertinis horis immissum est Enema ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj. Largior fuit diæta: mane scilicet & serò jurulentum panem concessimus; medio autem die, ovum sorbile (gallicè *à la cocque.*) Res eodem modo gestæ sunt ad diem usque 29.

Die 29. lacti asinino tutam præparavit viam, Catharticum ex Mellis aërei: & Catholic. duplic. ana ℥. j. in aq. ℔. ß. Porrò lacte usus est toto Junio, & ubi opus fuit, purgatio communis instituta.

OBSERVATIO XXV.

Die 10. Augusti 1729. curavi Dominam *** filiam, annos natam 40, in Monastério (gallicè *La Raquette*,) se-

cundâ febris tertianæ duplicis continuæ invasione tentatam. Pulsus erat plenus, profundus, frequens, inæqualis; caput gravatum & dolorificum, angusta respiratio, tumens abdomen, alvus contracta. Temperamentum verò sanguineum, mens hilaris & fervida, corpus obesissimum. Facta est sanguinis missio in brachio ad ℔. fermè unam; diæta tenuis instituta est: ptisana ex fol. Capillor. vener. florib. Papaver. errat. & radicib. Graminis. Declinante in vesperum die, sanguis rursùm è brachio ductus est ad ℥. xij. remissâ scilicet febre.

Die 11. manè, injectus est Clyster ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj. in lactis sero decoctis. Ægrotantem verò monui, ut statimatque febris accessione corriperetur sibi secari saphenam sineret, priusquam erumperet sudor. Mihi morem gessit: brevior, benignorque fuit paroxysmus.

Die 12. Apozemata sequentia Cyathim hausit:

℞. Folior. Bugolss. Borrag. Lactuc. & Scolopend. ana M. j.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß. f. Colat. in tres doses distrib.
In primâ dissol. Manna ℥. ij. ß. hæc dosis summo mane exhibeatur, ut magis à febris invasione distet.

Febris intermisit ab horâ tertià matutinâ ad medium usque diem; quo quidem

febricula meliùs quam febris, ægrum paululùm tentavit. Quamobrem,

Die 13. Catharticum tutò adhibuimus:

℞. Follic. Senn. ʒ. ij.
Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. iij.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij.
In Colat. dilue Sal. Abſynth. ʒ. j. f. p. in duas doſes diſtrib.

Febrilis calor ægram tantillùm veſperè moleſtavit. Deſideratum ſomnum revocavit julepus.

℞. Aq. Lactuc. ℥. iij.
Syr. Nymphati, ℥. j. f. jul.

Dein, ut recidiva febris præverteretur, Emulſionem febrifugam, in Obſervationibus noſtris multoties deſcriptam exhibuimus, Enemata & ſimplices purgationes interponendo. Sic perfectam ſanitatem intrà paucos dies ægrotanti reſtituimus.





SECTIO X.

DE FEBRIBUS Intermittentibus.

OBSERVATIO I.

DIe 12. Martii 1726. accessi curaturus nobilissimum Dominum *** in Supremâ Parisiensi Senatorem, annos natum 45. secundo febris tertianæ paroxysmo correptum. Temperamentum gerebat bilioso-sanguineum, gracile corpus, mentem fervidam. Totus à naturâ Rhumatismus erat, proximè ad arthritidem accedens; maloque Ischiadico per intervalla tentabatur, ita ut dolore coxendicum pertinaciter sæviente, spasmoque musculos stringente torqueretur, quo durante, curvus incedere cogeretur. Triplex ille affectus unius ejusdemque causæ effectus, alternè patientem vexabat ægrum: hunc autem octavo ætatis anno lacessere cœperat. Æstu febreque, dictâ die, jactabatur; præiverant frigus & horror, horis fermè tribus; hæc ardor ingens fuerat subsecutus, doloribus capitis, renum, totiusque corporis lassitudinibus stipatus. Pulsus erat turgidus, profundus, frequentissimus; quod autem esset intermittens, mi-

nimè miratus sum, talis enim ab ipso ortu fuerat, ut ipse narravit æger. Nihil vigente paroxysmo febrili moliendum esse judicavi, sed expectandum donec intermiserit: ubertim enim erumpebat sudor. Pro potu parata est ptisana ex decocto radic. Graminis & Orizæ; penitusque cessatâ febris accessione, Clyster est immissus ex aquâ & Mellis Nymphati ℥. iij Desiit verò febris horâ vespertinâ septimâ.

Die 13. manè, ductæ sunt è brachio ℥. sanguinis xij. Medio die alvum subduxit Enema simplex. Eductus sanguis deprehensus est spissus, sero spoliatus, superficie albâ inflammationem denotante donatus; ipsaque crusta quasi membranam duram (gallicè *comme un fort parchemin*) duorum argenteorum nummorum crassitudine efformabat. Sub vesperum itaque denuò missus est sanguis è brachio, nec meliorem protulit indolem; capitis tamen remisit dolor, Rhumaticique dolores sedati sunt. Altùm nocte totâ dormivit æger.

Die 14. manè, solito citior insurgit febris, iisdem præcursoribus stipata, sed mitioribus. Memorata properant symptomata, sudore terminatus uberrimo. Enema vesperascente die immittitur, simili modo quo die 12. paratus. Interim die proximo propinandum præscribo quod sequitur Catarthicum:

℞. Cortic. Peruvian. contus. ʒ. ij.
Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. q. s. in aq. ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In Colat. dissol. Sal. Glauber. ʒ. j.
F. p. lax. in duas doses distrib.

Copiosas dejectiones provocavit potio, salvis ægri viribus.

Die 16. manè, injectus est Clyster simplex. Horâ verò post meridiem tertiâ, quartâ febris accessione tentatus est ægrotans, frigore levissimo præeunte. Eâ depulsâ, Clyster immissus est ex aquâ & Mellis Mercurialis ℥. iij. Opiatam autem sequente methodo componendam descripsi:

℞. Cortic. Peruvian. ℥. j.
Rhei, ʒ. ij.
Sal. Absynth. ʒ. iij.
Cum s. q. Medull. Cass. mund. f. op. ad pondus ʒ. j. bis in die, tribus horis interjectis exhib. jusculo intermedio; dummodò febris intermiserit.

Die 18. sine rigore, febrilis calor ægrum invasit; sed vix se febrire cognovit. Febris autem posteà fugata est; nos verò brevis lætitia recreavit. Nam

Die 30. Martii, cum multis, pravisque se replevisset cibis laudatus convalescens, febre duplici tertianâ continuâ correpus est. Secta est iterùm in brachio ve-

na, misusisque sanguis ad ℥. xij. Enema vesperè ex emolliente decocto paratum, cum Mellis Mercurialis ℥. iij. Sanguis melioris visus est indolis.

Die 31. Febris horâ septimâ matutinâ increbruit; sequentem julepum præscripsi:

℞. Aquar. Buglosſ. Borrag. & Cichor. ana ℥. ij.
Syr. Limon. ℥. j. ß. ad duas doses.

Die 1. Aprilis manè, remissam febrem agnoscens, sequentem institui purgationem:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iij.
Tamarindor. ℥. ß.
℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de pom. comp. ℥. j. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Ubertim dejecit æger, tranquilliorque die totâ fuit.

Die 2. manè, immissum est Enema laxans. Sole verò in occasum præcipitate, febris iterùm increbruit. Julepus prior repetitus est.

Die 3. parata est Opiata:

℞. Cortic. Peruvian. pulver. ʒ. vj.
Rhei, ʒ. iij.
Sal. Absynth. ʒ. j. ß.
Tyr. Corall. q. s. f. Op. ad pondus ℈. iv. bis in die voranda.

Interim Clysteres non fuerunt omissi, modò simplices, modò compositi. Febris in dies mitior fuit, ex toto desiit die Apr. 6.

Porrò prioris culpæ immemor famelicus convalescens, se cibis rursùm ingurgitavit: imò & sacris Hebdomadæ sanctæ Veneris & Sabbati diebus, austerum servans jejunium, oleribus & pane stomachum oneravit.

Die ergo Maii 14. nobilem virum acriter invadit febris, quæ tertianæ typum deinceps tenuit. Morbi causam ab ipsomet ægrotante, ut & ab adstantibus accipio: nihil ago, sed cessatâ febris accessione, Clysterem infundi jubeo, ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iv. Dein ventriculum vitiatis humoribus, illuvieque crudâ refertum intelligens, Catharticum die proximâ sumendum designavi:

℞. Follic. Senn. ℥. ij.
Rhei Elect. ʒ j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Stib. g̃. j. ß.
In aq. Cyatho f. s. a. haustus.

Laudabiliter exonerata est alvus:

Die 16. Minori sævitiâ febris accessit; capitis autem dolor fuit atrocissimus. Sub vesperum, Enema simplex immissum est.

Die 17. Præparatis & evacuatis à priore laxante humoribus in ventriculo & intestinis fermentescentibus, sanguinem è brachio mitti curavi ad ℥. ix. Enema autem vesperè fuit immissum ex emolliente decocto, & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 18. febrilis paroxysmus multò le-

vior fuit. Ad ardorem verò temperandum, in ptiſanæ ℔. ij. diluta eſt Syr. Limon. ℥. j. Veſperaſcente die Clyſter injectus eſt priori ſimillimus. In proximum autem diem parata eſt miſtura laxans:

℞. Rhei, ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal Glauber. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Die 20. Ne minimum quidem febrilem ſenſum percepit æger; ut tamen metuenda, quia pluries perfida febris cautè depelleretur, efficaciſſima ſequens Opiata parata eſt:

℞. Cortic. Peruvian. ℥. j.
Sal. Ammoniac. ʒ. j.
Salis Tamariſci, ʒ. j. ß.
Cum ſ. q. Syr. Corall. f. Op. ad pondus ʒ. j. bis in die voranda.

Hâc demùm methodo pertinaciſſimæ febris tutò debellata & radicitùs avulſa eſt.

OBSERVATIO II.

DIe 27. Julii 1726. Caupo quidam annos natus 47. febre jam à menſe ſolido pertinaciter perſeverante vexabatur, tertianæ typum ſervante; cujus omnes paroxyſmi erant hor. xv. porrò ſtupendum erat quod tam altas radices mi-

ſiſſet ſimplex febris intermittens, cujus incrementum præoccupaſſet methodus ſimpliciſſima. Verùm Circulatoris cujuſdam ſponſionibus deceptus vir ille, varias tùm venæ ſectiones, tùm purgationes ſibi adminiſtrari permiſerat. Cum ergo ex imprudentiſſimâ praxi, flammam ſanguis facilè concepiſſet, miſſæ ſunt ſtatim è brachio ℥. ſanguinis xij. horis ſcilicet tribus ab intermiſſione febris. De ægrotante verò notandum hoc venit quòd vaſa turgerent; corpus eſſet gracile, tumidus venter.

Die 28. Clyſter immiſſus eſt manè, ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iv. alter veſperi ex ſimili decocto, melle omiſſo.

Die 29. febre tentatus eſt æger: acceſſio autem fuit hor. x. Enema injectum eſt ſerotinis horis. In ſequentemque diem præſcripſi Catharticum:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. ij.
Rhei, ʒ. j.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
In aq. ℔. j. f. ex arte p. Cathartica, ad duas doſes, tribus interpoſitis horis exhib. juſculo intermedio.

Ubertrimas dejectiones, ſalvis ægri viribus, adduxit potio purgans. Attamen ut amicâ quiete recrearetur æger, julepus inſtitutus eſt:

℞. Aquar. Lactucæ & Nymphææ, ana ℥. j. ß.
Syr. Nymphati & Diacod. ana ℥. ß. f. jul.

Die ultimo Junii, ne minimam quidem febris tentationem percepit æger. Huic Opiatam sequentem præscripsi:

℞. Cortic Peruvian. pulver. ℥. vj.
Sal. Ammoniaci, ʒ. j.
Sal. Tamarisci, ʒ. j. ß.
Cum s. q. Medull. Cass. mund. f. Op. ad pondus ʒ. j. ter in die voranda.

Res optimæ gestæ sunt ad diem usque 14. Augusti, quo citatim accivit me. Sine ullo alimentorum delectu, sine mensurâ modoque vixerat: indè tandem diarrhæâ fuerat correptus, die scilicet Augusti 12. nulla tamen aderat febris. Immissa sunt Enemata ex decocto fol. Verbasci & semin. Lini. Ptisana parata ex Orizæ decocto, & rasuræ cornu cervi & Eboris. Purgatio celebrata est die 17 ex Mellis aërei & Catholic. duplic. ℥. j. in ptisanæ Cyatho. Deindè, unoquoque die prandens ille, in unâ & alterâ jurulenti panis offà voravit Rhei tosti g̃. xv. Die tandem 21. sanatus, ab omni remedio abstinuit: atque à priori imprudentiâ edoctus, rectam tenuit diætam.

OBSERVATIO III.

DIe 19. Augusti 1726. meum inclamavit auxilium Minutarius quidam, annos natus 50. febre tertianâ crudelissimis stipatâ symptomatis laborans. Corpore erat gracili, temperamento biliososanguineo, festivâ fervidâque mente. Tribus jam paroxysmis fuerat cruciatus, semelque sanguinem è brachio miserat Chirurgus. Sic porrò ægrotantem febris invadebat; primò, frigus & horror horis circiter duabus sævienti; quæ subsequebatur calor ingens tanto stipatus delirio, ut vix à quatuor adstantibus contineri posset, ad usque finem accessionis. Intermissionis autem die, sanorum instar ambulabat, manducabat, nec potui Bacchico parcebat. Vix autem accessi, & post febrilem paroxysmum, sanguis ℔. j. è brachio rursùm mittendam decrevi. Ptisana parata est ex decocto radic. Gramin. & Fragar. solvendo Sal. Nitri ʒ. j in decocti ℔. iij.

Die 20. manè, febris intermittebat. Clyster injectus est ex decocto fol. Lactuc. & Betæ, cum Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 21. febre ardentissimâ correptus est æger, tantâque sævitiâ, ut furens è conjugis adstantiumque manibus evaserit, & nudus cum subuculâ, hâc illâc circum-

cursans: ex obviæ pomariæ manibus eripuerit pira, quibus, quantum ferre potuit, stomachum oneravit. Illicò secta est saphena, missaque ℔. sanguinis una.

Die 22. ut præparati deturbarentur humores, sequentem institui purgationem:

℞. Cortic. Peruvian. contus. ʒ. iij.
Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Epsomiens. ʒ. iij.
Syr. viol. ℥. in aq. ℔. j. ad tres doses f. a. parandus.

Copiosas dejectiones Catharticum adduxit, dulcive somno recreatus est æger nocte proximâ. Eâdem nihilominùs die, ut à metuendâ febre præcaveremus, Opiatam sequentem statim parandam decrevi, ut summo manè eâ uti posset:

℞. Cortic. Peruvian. ℥. j. ß.
Sal. Ammoniaci, ʒ. j.
Sal. Tamarisci, ʒ. j. ß. cum s. q. Sir. de Absynth. f. Op. ad pondus ʒ. j. quater in die voranda.

Die 23. levissima fuit accessio, delirium nullum. Die verò 25. ab omni febris tentatione fuit immunis æger. Enemata simplicia immissa sunt.

Die 26. rebus prosperè se habentibus juxtà formulum hanc purgatus est:

Follic. Senn. & Rhei, ann ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.

Syr. de pomis comp. ℥. j. In aq. ℔. ß. pro hauſtu ex arte parando.

OBSERVATIO IV.

Die 10. Decembris 1726. nobiliſſimus vir Dominus *** ſecundo febris tertianæ paroyſmo tentatus accerſivit me. Morbum ſequentes cauſæ procreaverant. Obſcuro cœlo, prægelido, quotidie mane, antè octavam ad ædem ſacram properaverat; ibique ſupra humido-frigidum pavimentum flexis poplitibus ad horam uſque decimam proximam remanere conſueverat. Præterea die 7. menſis hujus, abſtinuit à carnibus, & minoribus fabis tantâ copiâ ſumptis ventriculum oneravit, ut ſub veſperum, atrociſſimis ventriculi doloribus, conatibuſque nauſeabundis fuerit cruciatus. Cruda nec concocta vomitu redduntur alimenta; abundè ſubducitur alvus; pii pariter & imprudentis viri membra quatit horror, quem paulòpoſt ſequitur calor ingens, totius corporis jactatione ſtipatus. Interim ſilet æger, meque in auxiliatorem advocari non ſinit; quo liberiùs die ſequenti Feſto Conceptionis B. M. Sacra frequentaret. Noctu febris intermittit; ſanctis favet exitus deſideriis. Verùm die dicto decimo, cum amicis & conſangui-

neis

neis epulatur, sobriè tamen laudatus æger. Vix è mensâ surgit, & rursùm inhonescit; immanibus ventriculi doloribus & nauseis lacessitur; quidquid tàm vomitu quàm secessu redditur, id omne tandem cruentatur: febris ardet, citarim advocor. Clysteres tertiâ quâque horâ infundi jubeo ex decocto radic. Consolid. major. & Semin. Lini paratos. Ptisana autem instituitur ex decocto radic. Graminis cum Semine Lini paululùm infuso. Juscula componuntur ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, & gallinaceo pullo. Noctu parùm requievit æger: ad naturalem verò statum rediit summo diluculo.

Die 11. vasa deprehendens turgida, hortatus sum ægrotantem ut sanguinem è brachio sibi mitti sineret. Verùm sub falso debilitatis prætextu, procrastinavit. Solâ sorbitione vixit: immissi sunt manè & vesperè Clysteres prioribus similes.

Die 12. levissimum percepit æger frigoris sensum, quem statim mediocris secutus est calor. Febriculâ dicam meliùs quàm febre tentatus est. Hunc iterùm & iterùm monui ut venæ sectionem sibi celebrari permitteret: ast iisdem præjudicatis opinionibus innixus, simili pertinaciâ recusavit. Ergo donec mecum saperet, die sequente Catharticum hauriendum præscripsi:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.

Catholic. duplic. ℥. ß. in aq. ℔. ß. f. haustus.

Ubertim alvus laxata est, atque à morbo convalere se existimavit.

Die 14. ne minimo quidem febris sensu tentatus est, indèque sibi largiorem victum esse concedendum judicavit.

Die 15. noctu jactationibus nonnullis fuit commotus: eum itaque monui, ut infusione ex Peruviano cortice parata bis uteretur in die: promisit, nec obtemperavit.

Die 16. nobili quâdam muliere vade factâ, misturam sequentem confidenter sumpsit:

℞. Cortic. Peruvian. pulver. ʒ. v.
Mellis Narbonensis, ℥. j.
Syr. Capillor. vener. ʒ. vj. f. mistura in tres doses distrib. & per triduum exhib. unamquamque dosim scilicet in vini Cyatho dilutam.

Primam itaque dosim sumpsit victoriæ gaudium prælibans. Horâ tamen matutinâ decimâ, frigore corripitur, ardet deindè febris; eum anima sæpè deficit: ab ægrotantis conjuge quæro nùm infusione præscriptâ fuisset usus; affirmativè respondit; culpamque ex amore tenero commissam occultans, os inscio mihi sublinit. Paroxysmus viget ad horam usque diei sequentis undecimam matutinam. Interim secunda dosis exhibetur, exitu nefando. Nam,

Die 18. horâ matutinâ ſecundâ febris ingenti calore ſtipata, ſine horrore prævio laborantem invaſit: hæc meridiano tempore remiſit; eodemque inſtanti, leviſſimo & momentaneo frigore correptus æger, acerrimo fuit æſtu cruciatus. Sæviunt ſymptomata, oculis errantibus adſtantes quærit, mentis ſuæ non compos. Tunc autem tantæ mutationis cauſam ignorans, conjugem ſciſcitor, quid novi, me inconſulto, fuiſſet adminiſtratum? Penès me eſt noxa, reſpondit citò lugens, febrifugumque ab amicâ præſcriptum adhibuiſſe confitetur. Inflammationem indè majorem ſanguis conceperat, undè vaſa ultrà elaterem intenſa legitimum, proximos indè varices minitabantur. Horâ igitur veſpertinâ ſextâ ſanguinis ℔. j. mittitur è brachio: ptiſanæ loco paratur decoctum pulli gallinacei, cum Seminibus iv. frigid.

Die 19. Noctem perturbatam & inſomnem duxerat æger. Febris remiſit, nec intermiſit. Immiſſus eſt Clyſter manè ex refrigerante decocto, cum Mellis Nymph. ℥. j. Nox tranquilla fuit, aliquotâ nihilominùs febre ſuperſtite.

Die vigeſimo horâ undecimâ matutinâ, febris exarſit, doluit ægro caput; hicque factus eſt mox delirus. Inordinato fluidorum motui conſultum fuit, mediante ſectionem ſaphenâ celebratâ, ex quâ ductâ

est ℔. sanguinis j. Sedatæ sunt corporis jactationes, mitigatus est ardor. Sequentes illicò paratæ sunt Emulsiones Cyathim alterâ quâque horâ propinandæ:

℞. Semin. iv. frigid. major. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ℨ j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. viij.
Contund. & affund. decocti ex radic. Nymph. parati ℔. iv.
In Colat. dilue Syrup. viol. ℥. ij. f. Emuls.

Die 21. sedatus est ardor, febris remisit; tumidus autem venter flavam ex intervallo fundebat illuviem. Enema fuit immissum ex refrigerante decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij. alterum vesperi, ex simili decocto, & Mellis viol. ℥. iij.

Die 22. sequens fuit instituta purgatio:

℞. Follic. Senn. Rhei & Agarici, ana ℨ. j.
Tamarind. ℨ. vj.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. veget. ℨ. j. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus

Ubertim alvus soluta est. Paululùm vesperè febris increbruit, & nocte mediâ remisit.

Die 23. sequentia parata sunt Apozemata:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. & Cichor. ana M. j.

Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. ß.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. ij.
In Colat. dilue Syr. Corall. ℥. j.
F. ſ. a. Apoz. in quatuor doſes diſtr.

Similia facta ſunt ad diem uſque 25. Clyſteribus non omiſſis.

Die 25. cum à propoſito Apozemate alvus pro votis ſubduceretur, lene Catharticum ex aëreo Melle, adjunctis Ol. amygdal. dulc. ℥. ij. ſumpſit æger, exitu proſperrimo.

Die 26. præſcripta reſumpſit Apozemata, in quibus Cortex Peruvianus, non infuſus, ſed pulveratus ad pondus ℈. iv in unâquâque doſi colatâ miſtus eſt. Similiter ad diem Januarii 2. quo quidem ut lentæ febriculæ conſuleretur, Apozemata febrifuga aſſiduè tertiâ quâque horâ toto diei cujuſque curſu data ſunt. In priore verò doſi, ſolutæ fuerunt Manna, ℥. ij. ß. Posteà deſcendit convaleſcens ad tres doſes, dein ad duas, tandemque ad unam; quarto tamen quoque die, ſolvendo dictam Manna quantitatem.

Die Januarii 19. ab omni licet morbi labe factus immunis, Tincturam ſequentem hauſit, unâ videlicet antè prandium horâ:

℞ Cortic Peruvian. ℥. j.
Rhei, ℈. j. infuſio totâ nocte ſuprà cineres calidos in aq. ℥. vj.

Tincturam hanc per menſis ſpatium

ſumpſit; ultimòque tandem ſic purgatus eſt:

℞. Mellis aërei, ℥. j. ß.
Catholic. duplic. ℥. ß. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Tali curatoriâ methodo firmam ſanitatem recuperavit vir tùm genere, tùm virtutibus omnibus perilluſtris.

OBSERVATIO V.

DIe 26. Februarii 1727. inviſi nobiliſſimum virum Dominum *** Comitem, annos natum circiter 27. febre tertianâ laborantem. Capitis doloribus cruciabatur; venter tumebat, alvus erat adſtricta, pulſus frequens, plenus, profundus, reſpiratio difficilis; temperamentum bilioſo-ſanguineum, fervida mens & hilaris, corpus gracile Tertiam febris acceſſionem hâc die patiebatur; nullâ medicatione adhibitâ. Ptiſana parata eſt ex radicum Graminis & Orizæ decocto. Ubi verò febris intermiſit, ægerque ſudore perfuſa depoſuit induſia: miſſæ ſunt è brachio ℥. ſanguinis xij. horiſque duabus interpoſitis injectus eſt Clyſter ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iv.

Die 27. manè, ab *Inflammatoriâ* ſanguinis indole, vaſorumque *turgentiâ* deſumens indicationem; ſanguinis ℔. unam è bra-

chio rursùm mittendam judicavi. Clyster vesperè immissus est ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. In proximam autem diem parata sunt quæ sequuntur Apozemata :

℞. Folior. Bugloss. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Cortic. Peruvian. contus. ℥. ß.
Sal. Nit. ℥. j.
In aq. ℔. j. ß. ad tres doses ex arte parandas, & tertiâ quâque horâ sumendas, nisi febrilis paroxysmus accesserit.

Die 28. febris ægrotantem invasit horâ undecimâ matutinâ : hunc autem die 26. tentaverat horâ matutinâ quintâ ; hâc porrò die 28. intermisit horâ post meridiem quartâ sub vesperum immissum est Enema ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die primâ Martii, vi formulæ sequentis purgatus est ægrotans ;

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Cortic. Peruvian. ℨ. j. ß.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. f. s. a. p. lax. in duas doses distrib.

Dejectiones uberrimas sine labore potio laxans adduxit : ast quem jamdiù somnum desiderabat æger, mediante julepo revocavimus :

℞. Aq. Lactuc. ℥. iij.
Syr. Diacod. ℨ. vj. f. jul.

Die 2. Martii, febrilem accessionem fugatura, vel saltem mitigatura parata est Opiata:

℞. Cortic. Peruvian. pulver. ℥. j.
Sal. Ammoniaci, ʒ. j.
Sal. Tamarisci, ʒ. j. ß.
Cum s. q. Syr. de Absynth. f. Op. ad pondus ʒ. j. quater in die voranda.

Die 3. febris ex toto quieverat die præcedente. Quapropter die 3. sic instituta est purgatio:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Cortic. Peruvian. & Rhei, ana ʒ. j.
Manna, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß f. ex arte p. lax. uno haustu sumenda.

Abundè subducta est alvus. Attamen eâdem die febrifugam Opiatam bis voravit convalescens.

Diebus 4, 5. & 6, Ter unâquâque die sumpsit Opiatam: largior fuit diæta. Posteà febrifugum Bolum semel quotidiè voravit; die autem 12. firmatas vires agnoscens, in patriam remeavit.

OBSERVATIO VI.

DIe 24. Maii 1727. accersivit me nobilis vir Dominus *** annos natus 47. febre duplici tertianâ intermittente tentatus, cujus duas passus erat accessiones. Temperamentum gerebat bilioso-

ſanguineum, fervidam mentem, mores ordinatiſſimos, gracile corpus. Sæviente febre, priuſquam erumperet ſudor, miſſæ ſunt è brachio ℥. ſanguinis xij. Ptiſana parata eſt ex decocto radic. Gramin. & Orizæ: juſcula verò ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, & gallinaceo pullo cum Semin. iv. frigid. ℥. j. Sub veſperum injectus eſt Clyſter ex emolliente decocto, & Nymphato Melle.

Die 25. Acerrimo febris paroxyſmo noctu fuerat correptus æger; nullus tamen hâc horâ octavâ matutinâ ſupererat ardor. Denuò miſſus eſt ſanguis è brachio ℔. ad fermè unam. Veſperaſcente die Clyſter immiſſus ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. Nocte proximâ febris feriata eſt, dieque ſequente ſolido.

Die igitur 26. vi formulæ ſequentis purgatus eſt æger:

℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. ij.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Glauber. ʒ. j. ad duas doſes ex arte parandas.

Ubertim & ſine moleſtiâ ſoluta eſt alvus.

Die 27. hæc Apozem. Cyathim hauſit:

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. iij.
Sal. Abſynth. ʒ. j.
In aq. ℔. j. ß. ad duas doſes.

Verùm hujuſce diei horâ decimâ matutinâ, horrore correptus eſt æger, quem paulòpoſt jactavit febrilis calor ad horam uſque tertiam pomeridianam. Die proximâ febrifugas doſes reſumpſit; Enematis laxantibus non omiſſis.

Die 28. ſic purgatus eſt:


℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Veget. ʒ. j.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. &c.

Validum ſe die totâ percepit æger. Verùm,

Die 29. manè, tertianæ typum ſervavit febris, cujus tamen benignior fuit acceſſio. Ad ſequentem Opiatam confugimus;

℞. Cortic. Peruvian. ℥. ß.
Rhei ʒ. ij.
Sal. Ammoniac. & Tamariſci, ana ʒ. ß.
Cum ſ. q. Syr. de Abſynt. f. Op. ad pondus ʒ. j. ter in die voranda.

Die ultimo Maii, ne minimam quidem febris tentationem percepit æger. Opiatam pondere præſcripto ſumpſit. Diebus primo & ſecundo Junii, bis in die. Poſtea ſemel uſque ad diem Junii octavum, quo quidem ab omni infirmitatis labe factus immunis, ultimò purgatus eſt.



OBSERVATIO VII.

DIe 12. anni 1728. vocatus ſum auxilio nobiliſſimæ Dominæ * * * annos natæ 81. febre quotidianâ, immanibus capitis doloribus vertiginibuſque ſtipatâ laborantis. Morbi dies hæc erat tertiâ, pulſum deprehendi durum & profundum. Illicò miſſus eſt è brachio ſanguis ad pondus ℥. x. Ptiſana parata ex radic. Gramin. & Orizâ. Sub veſperum injectum eſt Enema ex furfuris decocto, & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 13. Saphena ſecta eſt, vigente paroxyſmo, ductaque ℔. ſanguinis fermè una. Remiſsâ verò febre, infuſum eſt Enema priori ſimile.

Die 14. ſequentia ſumpta ſunt Apozemata:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana. M. j.
Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. ß.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. ij.
In Colat. dilue Syr. de Abſynth. ℥. j.
F. Apoz. in iv. doſes diſtrib.

Veſperaſcente die Clyſter ut ſuprà. Nocta febris intermiſit, horiſque quatuor ſoporem placidum petivit ægrotans.

Die 15. ſic purgata eſt.

℞. Dictam Apozemat. quantitatem.

In priore doſi diſſol. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Et Sal. Veget. ʒ. j. ß.
Aliæ verò doſes ut ſuprà; omneſque eodem exhibeantur ordine.

Ubertim alvum exoneravit. Declinante autem die, incidit in febres, cum prævio horrore leviſſimo. De nocte criticus ſudor acceſſioni finem impoſuit.

Die 16. in Apozemat. locum, ſequentem Opiatam ſuffeci:

℞. Cortic. Peruvian. pulver. ʒ. vj
Rhei, ʒ iij.
Sal. Ammoniaci & Tamariſci, ana ʒ. j.
Cum ſ. q. Syr. de Abſynth. f. Op. ad pondus ʒ. j. ter in die voranda, horis ſcilicet quatuor interpoſitis.

Febris depulſa eſt, deincepſque quievit ex toto. Tres ergo doſes Opiatæ voravit unoquoque die uſque ad vigeſimum menſis ejuſdem; duas deindè uſque ad vigeſſimum-quartum; unam denique uſque ad vigeſimum-ſeptimum. Altero autem quoque die fuit immiſſum Enema modò ſimplex, modò compoſitum, prout res poſtulavit.



OBSERVATIO VIII.

DIE 5. Martii 1728. meum imploravit auxilium nobilis Domina *** annos nata 55. febre quotidianâ laborans, spiritûs angustiis stipatâ. Temperamentum gerebat bilioso-sanguineum, corpus gracile. Statim igitur, ut turgescentia vasa suo elatere laudabiliter fruerentur, missæ sunt è brachio ℥. sanguinis xij. Parata est ptisana ex decocto Orizæ, additâ Althææ radice. Clysterem vespere infundendum præscripsi ex emolliente decocto & Melle Nymphato.

Die 6. ductus est è saphenâ sanguis, ut capitis dolores & vertigines sedarentur. Sub vesperum Enema simplex immissum est. Noctu febre jactata est ægrotans; summo autem diluculo febris remisit.

Die igitur 7. intermittente febre, sequens instituta est mistura:

℞. Folior Bugloss. Borrag. & Scolopend. ana M. j.
Cortic. Peruvian. contus. ℥. ß.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in s. q. aq. f. Apoz. febrifugo-lax. in tres doses distrib.

Alvus fuit abundè subducta: proximâ verò nocte, febris non accessit; porrò totam noctem pervigilavit ægra.

Die 8. febrifugam Emuls. præscripsi:

℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. vj.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. iij.
Colaturam affunde ſuper Semin. iv. frigid. contuſ. ℥. ß.
F. denuò Colat, in ſex doſes diſtrib. & tertiâ quâque horâ ſumenda, juſculis intermediis.

Similiter actum eſt die 19. leviſſimus adfuit febris ſenſus.

Die 10. fuit adminiſtrata purgatio :
℞. Rhei, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Glauber ʒ. j. in ſ. q. aq. f. ſ. a. hauſtus.

Ubertim alvus ſoluta eſt : febris deinceps ex toto quievit.

Die 11. pulvere ſequenti convaleſcens uſa eſt, horâ prandii, in unâ & alterâ juſculenti panis offâ.
℞. Cortic. Peruvian. g̃. xv.
Rhei g̃. xx. f. pulvis pro doſi.

Similem methodum tenuit uſque ad diem vigeſimum, perfectamque ſanitatem recuperavit.

OBSERVATIO IX.

Die 23. Aprilis 1728. meam imploravit opem Domina *** annos nata circiter 48 febre duplici tertianâ intermittente jamdudùm laborabat, cujus ac-

cessionum symptoma prævium erat nausea frequens, horrore corporisque hinc & indè molestissimis jactationibus stipata. Temperamentum erat biliosum, gracile corpus, mores suavissimi, mens hilaris. Tres venæ sectiones fuerant in brachio celebratæ, variæque potiones apozematosæ. Pulsum deprehendi debilem, frequentem, inæqualem, tumidum ventrem; alvus autem erat constricta: de capitis doloribus, ardore intestino, membrorumque lassitudinibus conquerebatur. Potus institutus est ex pulli gallinacei & Semin. iv. frigid. decocto: paratum quoque febrifugum Apozema:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. j.
Cortic. Peruvian. contus. ℥. ß.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Glauber. ʒ. j. ß.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. ß. f. s. a. Apoz. febrifugo-lax. in tres doses distrib. & singulis ternis horis exhib jusculo intermedio.

Laudabiliter subducta est alvus: febris vesperi minori sævitiâ rediit.

Die 24. ardor ab emulsivo decocto minimè temperabatur; Emulsiones sic fuerunt suffectæ:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j. ß.
Amygd. dulc. Excortic. No. vj.

Contund. &c. ſenſim affund. ad commun. ℔. iij.
In colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ß. f. Emulſ. Cyathim pro potu ordinario ſumend.

Sub veſperum, immiſſus eſt Clyſter ex fol. Lactucæ, & Mellis Nymph. ℥. iij. Benigna fuit febrilis acceſſio.

Die 25. Febrifugum Apozema priori ſimillimum exhibuimus, omiſſis purgantibus. Similiter actum eſt die 26. tamque feliciter, ut febris ex toto quieverit.

Die 27. purgata eſt convaleſcens:
℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. ſ. a. hauſtus.

Ab illo leviore Cathartico laudabiliter ſoluta eſt alvus.

Die 28. Emulſiones denuò ſumpſit: Enema quoque fuit immiſſum ex temperante decocto. Verùm ut à recidivâ febre præcaveremus, laudatam mulierem monuimus, ut Cortic. Peruvian. pulver. ʒ. j. aſſiduè horâ prandii voraret ſub formâ boli, ad diem uſque Maii tertium, quo quidem ſequens ultima fuit adminiſtrata purgatio:
℞ Rhei, ʒ. j. ß.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Glauber. ʒ. j.
In aq. ℔. ß. f. hauſtus.

His tutò peractis, convaleſcentem hori

tatus sum, ut asinino lacte uteretur, quo scilicet pectori, & virium imbecillitati mederetur. Paruit monitis, & optimè valuit.

OBSERVATIO X.

DIe 18. Februarii 1729. appellavit me nobilis vir Dominus *** annos natus 60. febre tertianâ laborans, hujusque tertiam patiens invasionem. Aderant capitis dolores atrocissimi; oculorum caligo; torpor artuum, alvi segnities, urinæ difficultas. Temperamentum autem biliosum, mens sollicita quadratum corpus & obesissimum. Priusquam igitur sudorem emitteret, secta est vena in brachio, ductusque sanguis ad ℥. xij. Sub vesperum infusus est Clyster ex furfuris decocto & Mellis Nymphati ℥. iv. Potum ordinarium præscripsi ex gallinaceo pullo probè exenterato, & Seminum iv. frigid. contus. ℥. j. in aq. ℔. v. ad remanent. ℔. iij. Juscula verò ex ℔. ij. vitulinæ carnis, & unâ bubulæ.

Die 19. Licèt tunc non febricitaret æger, arteria tamen tangentis digitum validè feriebat: mitigata quidem percipiebantur symptomata, non autem discussa: sanguis ipse scutellarum parietibus quasi gluten adhærebat. Quapropter venæ sectio rursùm in brachio celebrata est, ad detra-

cti ſanguinis fermè libram : nec ſibi quoad duritiem mentitus eſt. Paratæ ſunt ſequentes febrifugæ Emulſiones, Cyathim tertiâ quâque horâ ſumendæ, juſculis intermediis :

℞ Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. j.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. ij. ß.
Colaturam affunde ſuper Semin. iv. frigid. contuſ. ℥. ß.
F. Iterùm colat. in quinque doſes diſtrib. & ordine præſcripto propinand.

Flexo in veſperum die, injectum eſt Enema :

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in ſeri lactis ſ. q. f. Enem.

Hoc quidem alvum affluenter ſubduxit, capitiſque dolores inſigniter compeſcuit.

Die vigeſimo febrifugæ doſes repetitæ fuerant, uſque dum frigore concuterentur ægrotantis artus. Ubi febris extorruit, increbruêre ſymptomata. Tunc ad ſaphenæ ſectionem confugiſſemus, ni aſſueto œdemate crura tumuiſſent. Sanguis ergo ſimiliter è brachio ductus eſt ad pondus ℔. circiter unius. Porrò ab Emulſione febrifugâ uſque ad mane proximum abſtinuimus. Dilutiorem ſanguinem agnovi : copioſus ſudor poſt venæ ſectionem manavit, breviſſimus fuit paroxyſmus Priori ſimillimum Enema veſperè immiſſum eſt :

ſomnus ægrum noctu recreavit.

Die 21. Catharticum exhauſit:

℞. Follic. Senn. ℥. ij.
Cortic. Peruvian. ℥. j. ß.
Rhei, ʒ. j.
Tamarind. ʒ. j.
Mellis aërei, ʒ. ij. ß. in aq. ℔. j. f. ſ. a. p. ad duas doſes diſtrib.

Emulſio autem febrifuga repetita eſt horâ poſt meridiem ſecundâ. Alvus cumulatè laxata eſt, febriſque intermiſit ad horam uſque nonam ſerotinam, quâ motu leviſſimo laborantem tentavit. Febricula fuit potiùs quàm febris.

Die 22. immiſſa ſunt Enemata ex emolliente decocto & Melle Nymph. Emulſio febrifuga data eſt ſicuti die 21. Largior autem fuit diæta.

Die 23. Similia geſſimus, ne minima quidem deprehenſa eſt febris tentatio diebus ſequentibus.

Porrò narravit vir egregius, ſe recidivis in febres lapſibus aſſuetum. Quod quidem ab efferveſcente bile naſci ſuſpicans, Opiatam ſequentem ad pondus ℥. j. bis in die vorandam præſcripſi:

℞. Folior. Oriental. pulver. ℥. iij.
Cortic. Peruvian. ℥. j.
Sal. Ammoniaci & Tamariſci, ana ℥. ij.
Cum ſ. q. Extracti Juniperi, & Syr. de Abſynth. ana p. æ. f. Op.

Vires quotidiè firmatæ sunt, levique pede incessit, qui priùs præ nimiâ corporis mole & plethorâ titubabat.

OBSERVATIO XI.

DIe undecimo Aprilis 1729. curavi Dominum *** annos natum 35. febre tertianâ laborantem, cujus secunda hæc accessio. Nauseabundis conatibus cruciabatur ventriculus; aderat ingens in somnum propensio; capitis gravitas, oculorum caligo, torpor artuum, color totius corporis flavus, biliosæque copia illuviei per vomitum & secessum non rarò proturbabatur. Temperamentum erat bilioso-sanguineum, fervida mens, corpus gracile. Vigente paroxysmo secta est in cubito vena, missusque sanguis ad ℥. xij. Sub vesperum immissus est Clyster ex furfuris & Mellis communis decocto. Ptisana parata ex fol. Cichor. & Scolopend. cum radic. Graminis. Juscula autem ex ℔. ij. vitulinæ carnis & gallinaceo pullo.

Die 12. manè, motum febrilem nullum deprehendimus: nihilo tamen minùs vasa turgebant, caputque sine dolore gravatum erat. Ducta est è brachio ℔. sanguinis j. Medio autem die immissus est Clyster ex Siliq. Ægypt contus. ℥. iv. Ad vespe um ex glutinoso sanguine ejusque inflamma-

toriâ indole, necnon totius corporis, præsertim capitis perseverante gravedine depromptis indicationibus; saphena secta est ad detracti sanguinis ℥. xij. Insomnem noctem duxit æger, horâque ipsâ matutinâ quintâ subito correptus est frigore; quod quidem febris impetus delirio stipatus, proximè secutus est: paulòpost sudor è corpore manavit, decrescentemque febrem critica ventris resolutio discussit.

Die 14. Naturæ per superiora & inferiora levamen poscenti sic consuluimus:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. f. colat. ad duas doses.
In priore dissol. Sal. Stib. g̃. iij.
In alterâ Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Et Sal de Absynth. ʒ. j.

Ubi liber à colluvie viscoso-biliosâ factus est ventriculus, venterque se abundanter exoneravit; Emulsionem febrifugam Cyathim tertiâ quâque horâ sumendam exhibuimus, donec signa febrem prænuntiantia redierint.

Die 15. febris fuit in morâ; horâ enim matutinâ decimâ inhorruit æger. Quamdiù verò frigus membra concussit, tamdiù nauseabundi conatus biliosam saburram interdùm emittentes ventriculum lacesserunt. Sæviente paroxysmo, æstu deurenti, delirâ mente, convulsivis motibus jactatus est; huncque nonnunquam anima

defecit: uberrimus autem ſudor omnia diſpulit ſymptomata, horâ veſpertinâ 5. Duabus horis elapſis infuſum eſt Enema ex emolliente decocto & Mellis Nymph. ℥. iij. Horâ undecimâ ſerotinâ julepum uno hauſtu dedimus:

℞. Aq. Lactuc. ℥. iij.
Syr. Nymph. & Diacod. ana ℥. ß. f. jul.

Interim ubi ſomnus defuit, Emulſio febrifuga more ſolito repetita eſt ad uſque mane proximum.

Die 16. laxantem potionem præſcripſi:

℞. Follic. Senn. Cortic. Peruvian. Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Tamarind. ℥. ß.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Glauber. ʒ. j.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus purgans.

Catharticum expectationi reſpondit. Veſperaſcente die febrifugæ doſes ſolito ordine ſumptæ ſunt: julepum priori ſimilem non omiſimus; feliciter uſurpatus eſt.

Die 17. horrore leviſſimo & momentaneo præeunte, febris rediit horâ poſt meridiem primâ. Nullus autem capitis dolor, nulla mentis commotio. Veſperè injectum eſt Enema ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.

Die 18. Clyſteres immiſſi ſunt ex emolliente decocto. Solà ſemper ſorbitione vixit æger; febrifugas doſes exhauſit, in

quarum tamen primâ ſolutæ ſunt Mellis aërei ℥. iij.

Die 19. proſperrimè geſta ſunt omnia, exindèque morbum radicitùs avulſum intelleximus. Ultimam itaquè proximo die purgationem inſtituimus:

Follic. Senn. & Rhei, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. de Abſynth. ʒ. j.
In decocti de Cichor. parati ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Ut autem à recidivâ febre præcaveret convaleſcens, diebus quatuor continuis Emulſionem febriſugam ſumpſit, firmamque ſanitatem adeptus eſt.

OBSERVATIO XII.

Die primâ Maii inviſi nobilem Dominam *** annos natam 82. tertianâ febre laborantem. Validè pulſabat arteria, capitis dolor, oculorumque caligatio ægram quaſi obrutam tenebant. Tertia autem hæc erat febris acceſſio. Priuſquam ſudor erumperet, aperta eſt vena in brachio, ductuſque ſanguis ad ℥. xij. Ptiſana parata eſt ex radicibus graminis & Syr. violato. Juſculo ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, cum gallinæ dimidiâ parte.

Die ſecundâ febris intermiſit, relata ta-

men ſymptomata perſeverabant. Idcircò ſanguis ductus eſt è ſaphenâ ad ℥. xij. Emulſionem febrifugam præſcripſi:

Die tertiâ febris ægram invaſit horâ nonâ matutinâ, doloribus vertiginibuſque ſedatis, ad veſperum immiſſus eſt Clyſter ex fol. Verbaſci, Semine Lini & Elect. lenit. ℥. j. Porrò Catharticum mane proximo ſumendum deſignavi.

℞. Foll. Senn. Cortic. Peruvian. & Rhei, ana ʒ. j.
Mellis aerei, ℥ ij. ß.
Sal. de Abſynth. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Ubertim alvus ſoluta eſt. Attamen ut metuenda febris præcaveretur, febrifugum repetendum eſſe judicavi: aſt laudata Domina ſtatim ab aſſumptis Emulſionibus febrifugis, quoddam pondus in ventriculo percepit, diſſicilíſque reſpiratio ſtabat, donec mediante juſculo febrifugum ad inteſtina defluxiſſet: Quapropter Apozema ſubrogavi:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Scolop. ana M. j.
Fumar. & flor. Centaur. min. ana p. j.
Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. vj.
Sal. de Abſynth. ʒ. j.
In ſ. q. aq. f. ſ. a. Apoz. in quinque doſes diſtrib. Dentur autem tertiâ quâque horâ, juſculis intermediis, uſque dum febris acceſſerit.

Die

Die quinta febris ægram corripuit horâ poſt meridiem tertiâ. Mitior breviorque fuit paroxyſmus. Veſpero die, Clyſter infuſus eſt ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.

Die ſextâ in primâ febrifugi Apozematis doſi ſolutæ ſunt Mellis aërei ℥. ij. ß. & Sal. Veget. ʒ j. ß. Cæteras doſes abſque Cathartico exhibuimus.

Die ſeptimâ fugatam febrem intelleximus : duas tamen doſes febrifugas ſumpſit, ſimiliterque diebus 8, 9, 10 & 11, alvumque interdùm Enematis laxando. Deindè à die 12. ad 23. quotidiè horâ prandii, pulverem ſequentem jurulento pane obvolutum voravit :

℞. Cortic. peruvian. g̃. xv.
Rhei, g̃. xx. f. pulvis pro doſi.

OBSERVATIO XIII.

DIe 25. Septembris 1729. meum inclamavit auxilium nobilis vir Dominus * * * Eques, annos natus 35. ſecundam tertianæ febris invaſionem patiens. Præiverant horror ingens, nauſeæ, ſpirandi difficultas : aſt in vigore febris pertimeſcendum veniebat delirium quo prior ſtipata fuerat acceſſio. Jam ſuboriebantur capitis dolor acutus, æſtus deurens, anxietates, corporis hinc & indè jactationes, pulſus frequentia & inæqua-

litas. Temperamentum erat maximè biliosum, fervida mens, corpus gracile. Sanguinem ſemel è brachio miſerat Chirurgus quidam dexterrimus, die proximè elapſo. Ego ſaphenæ ſectionem illicò celebrandam præſcripſi; antequam ſævientibus ſymptomatis æger ſudaret. Ducta eſt ℔. ſang. j. Potus paratus eſt ex pulli gallinacei, & Semin. frigid. iv. decocto. Juſculum autem ex vitulinâ carne & unius gallinæ parte dimidiâ. Delirio quidem, ſed mitiori noctu tentatus eſt æger, largè prorupit ſudor.

Die 26. febris horâ ſextâ intermiſit. Injectum eſt Enema ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj. Dein Cyathim alternis horis ternis Emulſionem febrifugam exhibuimus. Sub veſperum injectus eſt Clyſter ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij. Juvante Enemate alvus abundè ſoluta eſt. Febrifugas verò doſes ſumpſit æger, donec frigus febris prænuntium acceſſerit.

Die 27. febre correptus eſt, horâ poſt meridiem undecimâ: finem acceſſioni ſudor impoſuit horâ tertiâ proximè ſecutâ; leviſſimus fuit capitis dolor.

Die 28. indicantibus à frequenti nauſeâ & dejectorum qualitate deſumptis conſuluimus:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj. Bull. q. ſ. in aq. ℔. j.

F. colat. in duas doses distrib.
In priore dissol. Sal. Stib. ğ. iij.
In alterâ, Mellis aërei ℥. ij.
Et Sal. Veget. ʒ. j.

Sub vesperum repetitæ sunt febrifugæ doses. Porrò viscosam, flavamque colluviem supernè & infernè deturbavit mistura laxans. Desideratum autem somnum revocavit julepus.

℞. Aq. Nymph. ℥. iij.
Syr. Diacod. ʒ. vj. f. jul. horâ somni sumend.

Die 29. ab omni febris tentatione immunem ægrum invenimus, tantumque levamen adhibitæ methodo debitum credidimus. Nox placida fuit, festivamque diem duxerat laudatus Eques. Felix si cupidini ciborum plùs æquo non indulsisset. Ast die 30. jurulentum panem & gallinaceum pullum manducavit, vinique ℔. j. me inscio, exhausit, febrifugam tamen Emulsionem non omittendo. Quapropter die 1. Octobris rursùm exarsit febris, impetu similiter sæviente: remisit autem eodem declinante die.

Die 2. Octobris alimenta malè concocta, in primis viis stabulantia detrusit potio laxans:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Stib. ğ. ij.
Sal. veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Posteà ſequens Apozema præſcriptum eſt ;

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Lactucæ, ana M. j.
Fol. Oriental. & Cortic. Peruvian. ana. ℨ. j. ß.
Sal. Glauber. ℨ.ij. in aq. ℔. ij. f. ſ. a. Apoz. in quatuor doſes diſtrib. & quotidiè repetendum, donec prohibeatur.

Febris ex hâc die depulſa eſt.

Die 5. purgationem ultimam inſtituimus.

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Catholic. duplic. ℥. j. in aq. ℔. ß. f. hauſtus.

Deindè ad exſtimulandum ventriculi fermentum, elateremque firmandum, quotidiè horâ prandii, in jurulento pane datus eſt pulvis ſequens, diebus octo continuis ſumendus :

℞. Cortic. Peruvian. & Rhei, ana g̃. xv.
Lymat. Chalyb. ppt. g̃. viij. f. pulvis pro doſi.





SECTIO XI.

DE HYDROPE.

OBSERVATIO I.

DIe 25. Junii 1725. meam afflagitavit opem nobilis Domina *** annos nata 43. temperamento pituitoso, corpore obeso, mente sollicitâ. Hoc autem morbi fuerat exordium. Abortum passa erat anno 1720. præiverat largum ex utero sanguinis profluvium, diuturnumque morbum cautè debellaverat qui tunc fuerat accersitus Medicus. Menstrua tamen deinceps parùm & inordinatè fluxerant, œdematosusque tumor interdùm pedes occupabat. Imminentem igitur Hydropem curaturus advocatur Circulator quidam : hic pro sanitate citò recuperandâ spondet, morbum audacter aggreditur, varias pilulas parat & exhibet ; ægrotanti potu, jusculis, interdicitur ; vix paucis alimentis residuæ vires recreantur, non mensis unus, sed menses fluunt & sequentia perseverant symptomata. Tumet abdomen, vastius totum tumet corpus, doloribus colicis cruciatur ægra, ex stomacho laborat, conatibus nauseabundis premitur, parùm excedit urina ; somnus

paucus est & laboriosus. Hæc omnia in dies increscunt. Ergo morbi diuturnitate & remediis exinanita nobilis ægrotans circumforaneum dimittit die 24. Junii 1725. Pro potu decoctum sequens institutum est:

℞. Radic. Graminis M. ß.
Radic. Ononid. N°. ij. vel iij. Radic. Chinææ, ℥. ß.
Semin. Milii-Solis nodulo inclusi, ʒ. ij.
Bull. q. s. in aq. ℔. vj.
In colat. dissol. Sal. Nitri ʒ. ij.

Insuper parata sunt quæ sequentur Apozemata:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. Parietat. Ceræfol. & Nasturt ana s. q. ut ex illis contus. & expressis educatur succus ad ℥. x. Clarificetur succus ex arte: posteà adde Sal. Epsomiens. ℥. ß. & Syr. de v. Radic ℥. ß. ad duas doses.

Similiter actum est ad diem usque primam Julii; sed in priore Apozematum dosi, alternis scilicet diebus, soluta est Mellis aërei, ℥. j. ß. Legitimâ quantitate reddita est urina; leniter laxata est alvus.

Die primâ Julii, cum præcedente nocte ægram sæpiùs tentassent nauseæ, acore quodam stipatæ; Emeticam verò potionem sumere nollet: ipsâ insciâ, in dictorum succorum ℥. vj. soluta sunt Tart. Stib. g̃. iv. ad duas doses, intrà quatuor horas exhib. haustis, ubi adesset vomitus, vel preme-

ſent vomendi conatus, aquæ tepidæ frequentibus Cyathis. Copioſam evomuit mox flavam, mox porracam bilem; deindè glutinoſam viſcidamque colluviem, ovi albuminum inſtar. Votis itaque ſatisfecit Emetica potio; ſedati ſunt enim ventriculi & inteſtinorum dolores. Porrò ceſſatâ per os evacuatione, ubertim quoque ſeſe exoneravit alvus.

Die 2. Julii, ſumpſit ægra clarificatos dictarum plantarum ſuccos, in quorum ℥. v. ſolutæ ſunt Manna ℥. ij. pro doſi.

Die 3. cùm os ægrotantis ſub-acido quodam prolueretur humore; ipſaque quoddam in ventriculo pondus vomitum minitans conquereretur; quod factum fuerat die primâ Julii, ſimiliter, exituque pari factum eſt & tertiâ. Altùm nocte totâ dormivit.

Die 4. tam benè ſe habuit ventriculus, ut ter in die cibum incolumis capeſſere valuerit, non omiſſis interim juſculis. Noctes ex hâc die placidæ fuerunt, ciboſque non ſolùm deſideravit ægra, ſed & ei palatum ſapuit.

Die 6. ut ſtabulantes in inteſtinis humores eliminarentur, totaque liquida moles defecaretur; parata eſt Opiata ſequens:

℞. Rhei Electi, ℥. ß.
Radic. Jalap. & Mechoacann. ana ʒ. j.
Pulver de tribus, ʒ. j. ß.

Tabellar. Diacarthami, ʒ. iij.
Ocul. cancr. Corall. rub. & Margarit. ppt. ana. ʒ. j.
Cùm ſ. q. Medull. Caſſ. mund. & Extract. Junip. ana p. æ. f. Op. ad pondus ʒ. j. bis in die voranda, tribus ſcilicèt horis interjectis, juſculo intermedio.

Laudabiliter alvus ſubducta eſt, viſcidamque ſuggeſſit illuviem. Hujus tamen uſum Opiatæ ad tempus præcludendum judicavi, donec imminentia deſiiſſent menſtrua. Quamobrem die Julii 13. abſtinuit ægrotans ab Opiatâ.

Die 15. largè defluxerunt catamenia, licèt menſe proximè elapſo pauciſſimè & laboriosè ſtillaſſent. Ceſſaverunt autem die 20.

Die 26. purgatio inſtituta eſt ſequente methodo:

℞. Jalap. & Mechoac. pulv. ana g̃. xxx.
Diacryd g̃. vj.
Cremor. Tart. ʒ. ß.
Cum ſ. q. Syr. de Cichor. comp. f. maſſa purgans, ſub formâ boli voranda.

Pro votis vacuata eſt ægra, reſque ut priùs proſperè geſtæ ſunt.

Die 19. reſumpſit Opiatam, altero tamen quoque die; fauſtiſſimo ſemper exitu, paremque tenuit ægra viam ad diem uſque 12. Auguſti.

Die 13. Augusti, ordinatè decurrêre flores uterini, destitêre verò die 18.

Die 22. paratus est bolus:

℞. Rhei pulver. ʒ. ß.
Mechoacann. g̃. xl.
Cum s. q. Extracti Juniperi, f. bol.

Jam omnia perfectam sanitatem pollicebantur: nulla aderat quarumvis partium corporis intumescentia; imò & universæ partes ad naturæ munera validæ videbantur. Verumtamen ut recidivus præoccuparetur morbus. Iterùm Opiatam descriptam sumpsit ægrotans, tertio quoque die, ad 10. Septembris.

Die 14. floruit uterus ad diem usque 18. Omnia pro votis gesta sunt. Instituta tamen est purgatio sequens die 3. Octobris sumpta:

℞. Follic Senn. ʒ. ij.
Rhei, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal de Absynth. ʒ. j. f. s. a. haustus.

Meliore in dies facie rerum deveniente, depulsisque omnibus morbi symptomatis, mea fuit hæc ultima deliberatio, ut scilicet sequente mense, cessatis menstruis, similem bolum voraret quem die 26. Julii præscripseram (liquidum enim Catharticum ferebat difficillimè) & liberius cœlum in agro captaret.

His auxiliis ad confirmatam sanitatem pervenit laudata mulier, quæ Circulato-

ris ignorantiæ & temeritati succubuisset, nî maturis conaminibus fuisset adjuta.

OBSERVATIO II.

DIe 18. Julii 1725. fidelissima conjux Domini *** Frumentarii, annos nata 32. bimestris puerpera, meum inclamavit auxilium. Hanc prægnantem febris intermittens pluries tentaverat, enixamque statim continua vexaverat. Quibus omnibus perterriti parentes, incitantibus mulierculis nonnullis, Circulatorem quemdam adivêre, qui promptam sanationem spondet impudenter, & repetitis venæ sectionibus, necnon usu aquæ-vitæ Scammonio & Jalappâ imprægnatæ, tanquam arcano, per dies quadraginta exhibito, credulam ægrotantem Hydrope periculosissimo implicat. In immensam molem attolitur abdomen; ita ut tribus transversis digitis suprà Xyphoïdem Cartilaginem tumor assurgat. Pedes, crura œdematosè turgescunt; difficillimè spiritûs ducitur, urget frequentissima tussis, sorbitio fit laboriosa, recubareque nescit ægra, quam insuper Ischuria, vigiliæque perennes cruciabant & exhauriebant. Lochia quantitate legitimâ fluxerant: pulsus erat intermittens ut plurimùm & convulsivus. Circulatorem cum ignominiâ pa-

rentes depellunt : me statim accersunt.

Ptisanam parari jubeo ex radic. Graminis & Sale Nitr. Præterea paratum est quod sequitur Apozema :

℞. Folior. Cichor. Ceræfol. & Nasturt. aquat. ana q. s. ut ex illis contus. & express. educantur succi ℥. xij.
In clarific. succo dissol. Sal. Glauber. ℨ. j. ß. & dilue Syr. de v. Radic. ℥. j. f. Apoz. ad tres doses tertiâ quâque horâ sumendas, jusculis intermediis.

Horâ post meridiem tertiâ, stillare cœperunt urinæ sine labore, sensimque manaverunt ad ℥. circiter ix. Alvus autem modicâ quantitate soluta est. Declinante in vesperum die, immissum est Enema ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij. Horâ autem decimâ vespertinâ, tussi consuluimus frequenti :

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v. f. p. Cochleatim potitanda.

Nox placida fuit, rariorque tussis.

Die 19. repetitum est Apozema, in quo solutæ sunt Manna ℥. ij. ß. Laudabiliter subducta est alvus, urinamque vesica deposuit.

Die 20. humoribus ita per biduum præparatis, ut immenso provideretur Hydropi, composita est sequens Opiata :

℞. Rhei Electi., ℨ. ß.

Jalap. & Mechoacann. pulver, ana ʒ. j.
Pulver. de tribus, ʒ. j. ß.
Oculor. cancr. Matris perlar. & Corall. rub. ana ʒ. j.
Croci Martis aperient. ʒ. ij. Tabellar. Diachartami, ℥. j.
Medull. Caſſ. Mund. & Extract. Juniperi, ana p. æ. & q. ſ. ut fiat Opiat. ad pondus ʒ. j. ter in die voranda. Non omiſsâ potione ex Spermate Ceti, & Ol. Amygd. dulc.

Votis ſatisfecit Opiata, quæ exoptatam ſuppeditavit dejectionem, imminutâ tuſſi, liberioreque factâ reſpiratione. Ut autem ſomnus revocaretur, parari juſſi julepum:

℞. Aquar. Papaver. Errat. & Nymph. ana ℥. ij.
Syr. Diacod. ℥. j. f. julep. ad duas doſes.

Exoptatus acceſſit ſomnus, fuitque hor. quinque.

Die 21. Similia geſta ſunt, ſimili ſucceſſu, julepo omiſſo; nam poſt meridiem dormivit ægra hor. circiter tres, ſupràque dorſum & latera facilè cubare cœpit.

Die 22. ſolitam Opiatæ quantitatem voravit ægra ſolito quoque exitu, certiorique in dies perfectæ ſanationis ſpe creſcente. Nihil immutatum uſque ad diem 29.

Die igitur 29. Hydrope inſigniter diſ-

cusso, omnibusque sedatis symptomatis; semel in die exhibita est Opiata, ad pondus ℥. j. ß. immisso sub vesperum Enemate ex aquâ solâ. Servata est eadem methodus, usque in diem Augusti decimum. Plenior victus concessus est: unam scilicèt & alteram jurulenti panis offam bis in die sumpsit ægra, ovumque recens medio die sorbuit.

Die 31. Augusti, purgatio sequens instituta est:

℞. Cass. cum Siliq. contus. ℥. vj.
Tamarindor. ℥. j.
Bull. q. s. in decocti de Cichor. ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij.
In collat. dilue Syr. de v. Radic. ℥. j.
F. p. purg. ad duas doses.

Deindè radicitus avulsâ morbi causâ, lacte vaccino cum æquali decocti Scorzoneræ mensurâ convalescens manè per mensem integrum usa est.

OBSERVATIO III.

Die 7. Juilii 1726. vocatus accessi ad conjugem cujusdam Minutarii, annos natam 32. tribus abhinc mensibus sanguinis profluvio per intervalla laborabat, proximèque elapso mense, prodeuntibus catameniis, à subito tremore & pavore, in eorum suppressionem inciderat. Indè

ſtupor, ſpirandique difficultas oriuntur, ſæviunt ſymptomata: totum tumet corpus. Die igitur ſeptimo, me jubente, mittuntur è ſaphenâ ℥. ſanguinis xij. alvus ſubducitur ad veſperum mediante Enemate ex decocto emolliente & Mellis Mercurialis ℥. iv. fit reſpiratio liberior.

Die 8. Clyſteres manè & veſperè infunduntur, nec anaſarca imminuitur; vultus, manus, venter identidem tument. In proximum diem paratur Carthartica potio;

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Tabbellar. Diacarthami, ʒ. ij.
Sal. Abſynth. ℈. ij.
In aq. ℔. j. f. ſ. a. p. lax. ad duas doſes, horis tribus interjectis exhib. juſculo intermedio.

Sequuntur dejectiones uberrimæ, cum aliquo laborantis levamine. Interim Leucophlegmatia tuſſi frequente ſtipata mortem proximam ægrotanti minitatur: in lecto ſupina recubare neſcit, in eo conſidere cogitur; univerſalis œdematoſus urget tumor; crura in immenſum diſtenta fermè rumpuntur, guttatim & laborioſè redditur urina. Sequentem præſcribo ptiſanam:

℞. Radic. Cramin. M. ß.
Radic. Apii, Petroſelini, Aſparagi & Fœnic. ana N°. j.

Bull. q. ſ. in aq. ℔. v.
In collat. diſſol. Sal. Nit. ℨ. ij.

Die 11. ſequentem bolum præſcripſi:

℞. Jalap. & Mechoacann. pulver. ana ℨ. ß.
Diacryd. g̃. vj.
Cremor. Tart. ℨ. j.
Cum ſ. q. Syr. de Rhamno, f. bol.

Votis ſatisfecit, proindèque ægrotanti bolos non faſtidienti, eoſque facilè ferenti data eſt ſequens Opiata:

℞. Folior. Oriental. pulver. ℥. ß.
Rhei, ℨ. iij.
Jal. & Mechoacann. ana ℨ. ij.
Pulver. de tribus, ℨ. iij.
Tabellar. Diacarthami, ℥. ß.
Corall. utriuſque & Matris perlar. ana ℨ. j. ß.
Sal. de Abſynth. ℥. ß.
Cum ſ. q. Medull. Caſſ. mund. f. Op. ad pondus ℨ. j. quater in die voranda, tertiâ ſcilicèt quâque horâ, ſuperhauriendo ptiſanæ Cyathum.

Stupendus indè, mirandusque ſecutus eſt exitus: liberales fluxerunt urinæ; vultus, manus, pedes, abdomen quotidiè detumuerunt; alvus ubertim & ſine moleſtiâ ſoluta eſt: partium itaque tumore in dies decreſcente, conſumptâ Opiatâ, ſequentem inſtitui purgationem:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Medull. Caſſ. mund. ℨ. vj.

Sal. Veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Poſteà verò, Opiatam rursùm parari juſſi, ut ſuprà, omiſſis Orientalibus foliis, & Caſſiâ, cujus quidem loco, commiſcendis ingredientibus inſervivit Extracti Juniperi, ſ. q. Opiatæ verò doſis ʒ. j. ter tantùm in die, quartâ quâque horâ: gradatim bis ſolummodò, dein ſemel, donec radicitùs ſanatam agnoverim ægrotantem.

Die 10. Auguſti, perfectam jamdudùm adepta ſanitatem, rebus ſuis, uti conſueverat, curam impendit; nec in poſterum Hydropis cujuſcumque leviſſimâ tentatione affecta eſt.

OBSERVATIO IV.

DIe 24. Julii 1726. Dominus *** Eques Ordinis Sancti Lazari, accivit me auxiliaturum filio ſuo annos ſeptem nato, jam ab hebdomadis ſex lecto detinebatur. Morbillis (gallicè *Rougeole*) primùm fuerat correptus, diùque cruciatus: diſcuſſis verò morbillis, ſenſim ſine ſenſu in aſcitem incidit; graviter diſtento & tumente etiam ſcroto, alvo peradſtrictâ, urinâ ſuppreſsâ, extremitatibus quaſi glaciatis, inſigniter læsâ reſpiratione; febre tandem delirio ſtipatâ, ter quaterve in die increſcente & remittente vexabatur. Pa-

trem interrogavi, nùm alicujus Medici inclamasset opem ad curandos morbillos: ab eoque accipiens vocatum fuisse clarissimum Collegam, huncque etiamnùm assiduis eum juvare consiliis, nihil de agendis decernere volui, quin priùs consultationibus præesset, ut ùnanimi consensu deliberaremus. Laudatus accessit Collega, qui medendi methodum à se prudenter adhibitam sigillatim recensuit, atque narravit: deindè salutem ægrotantis desperans, hujus sortem esse soli naturæ committendam judicavit, nisi efficaciora proponerem remedia: nam Jalappa quotidiè ab infante pluries usurpata nihil omninò per inferiora deturbaverat. Ubi de morbi exordio, causâ, signis tam diagnosticis, quàm prognosticis inter nos habitus est sermo, hæc mea fuit sententia, nempè infanti exhibendum esse bolum sequentem:

℞. Rhei pulver. g̃. x.
Jalap. & Mechoacann. ana g̃. v.
Sal. Glauber. ℈. ß.
Cum s. q. Syr. de v. Radicibus ut bolus efformetur.

Pro potu verò parandam esse Ptisanam ex decocto radic. Graminis, & Sale [illegible]. Meam sententiam amplexus est Collega clarissimus: paratus est bolus cum Rheo, Sale Glauberiano & pulver. de tribus g̃. viij. addito Syr. de v. Radicibus. Similemque bolum ter ipsâ die voravit infans, sin-

gulis scilicèt quaternis horis. Convenimus autem apud ægrum horâ octavâ vespertinâ. Gratulantes invenimus parentes : infans enim magnam viscidæ colluviei copiam per alvum dejecerat, ubertimque fluxerant urinæ, nec tamen medicamentis vires erant ægro detractæ, quin imò pulsus vividior tangebatur, loquela facilior audiebatur. Hæc igitur nostra deliberatio, scilicèt remediis prosperè tentatis inhærendum, similemque bolum in nocte bis esse exhibendum, non omisso ptisanæ usu frequente.

Die 25. paulò meliùs se habebat infans, copiosas inspeximus dejectiones, abdomen mollius deprehensum est; nec ideò minùs tumebat scrotum; cui ut consuleremus, pannum laneum (gallicè *flanelle*) decocto emolliente probè imprægnatum aptari curavimus, scrotoque admoveri. Ut autem infantis venter pro votis proflueret, sequens parata est Opiata :

℞. Rhei Electi ʒ. ij.
Jal. & Mechoacan. ana ℈. ij.
Tabellar. Diacarthami, ʒ. ij.
Sal. Nit. ʒ. j. ß.
Cum s. q. Medull. Caff. mund. f. op. ad pondus ʒ. j. bis in die voranda.

Gradatim quotidiè detumuit venter, omniaque facta sunt meliora, præter scrotum quod proximam sui dilacerationem minabatur. Quamobrem, non solùm de-

coctum, ſed ipſæ emollientes herbæ cum ebulis ſufficienter decoctæ, ſcroto admotæ ſunt, & panno laneo probè madido detentæ. Sic, in dies, aliquid ex tumore minutum eſt.

Die 2. Auguſti, ex memoratis ſymptomatis ſupererat nullum; paululùm puer incedebat, & facilè ſcaphio conſidebat; purgatus eſt die ſequente:

℞. Mellis aërei, & Ol. Amygd. dulc. ana ℥. ij.

In ptiſanæ Cyatho f. ſ. a. hauſtus.

Die 5. febrem percepimus inſigniter adauctam, abdomen durum, noctuque delirio vexatus fuerat infans. Subitam hanc mutationem à diætâ ortam agnovimus. Crudeli commiſeratione commota mater, ovis pulliſque gallinaceis, pane, vino filium ſaturaverat: frequens datum eſt aquæ tepidæ poculum; manè & ſerò immiſſa ſunt Enemata.

Die 6. perſeverabat febris, cæteraque increverant ſymptomata, ita ut omni ſalutis ſpe decideremus. Ut tamen nihil intentatum relinqueretur, non neglectis manè & ſerò Clyſteribus, parata eſt miſtura ſequens:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. Cichor. Ceræfol. & Naſturt. aquat. ana ſ. q. ut ex illis contuſis & expreſſis educatur ſuccus ad ℥. xij.

Adde Mannna ℥. ij.

In Colat. dilue Syr. de Cichor. comp. ℥. j. ad duas doſes die ipſo hauriendas.

Omne à diætâ ſolidum excludatur alimentum, ſolâque ſorbitione vivat æger. Alvum Cathartica ſolvit potio, paululùmque pacata ſunt veſperè ſymptomata.

Die 7. idem exhibitum eſt Apozema ad totidem doſes, abſque Syrupo purgante, proſpero quidem exitu.


Die 8. repetitum eſt Apozema ſimile, omiſſo Manna: additæ ſunt autem Syr. de viol. ℥. vj. Nova felixque fuit rerum facies. Ut autem ſuperſtiti tuſſiculæ conſuleretur, quotidiè ad veſperum, priuſquam ſomno ſe traderet infans, lacte gallinaceo ſic parato uſus eſt:

℞. Vitellum ovi recentis, N°. j.
Sacchari, q. ſ.
Deindè leviter affunde aquam ferventem ad ℔. ß. vitellum accuratè diluendo, f. hauſtus.

Manè verò polentâ Britannâ ad modum *Caffé* paratâ uſus eſt. Potus fuit ex ſolius Orizæ decocto.

Bis tamen in menſe purgatus eſt, modò cum Manna ℥. ij. & Olei amygd. dulc. ℥. j. modò ex Medull. Caſſ. mund. ℥. j. ß. cum Syr. de Chicor. comp. ℥. j.

Talibus auxiliis vires, firmamque ſanitatem, parentibus & amicis ſtupeſcentibus, reſumpſit dictus æger.



SECTIO XII.

DE ICTERO.

OBSERVATIO I.

DIe undecimâ Maii 1726 curandum suscepi quemdam Lanium, annos natum 37. cujus corporis universa cutis erat flavo colore suffusa; jecur durum & dolorificum, tumens abdomen, alvus adstricta, ardentes urinæ. Nauseæ per intervalla inanes ægrum lacessebant; lenta denique febris hunc sic exinanitum & in tantùm exeso corpore effecerat, ut vix ossibus hæreret. Temperamentum gerebat bilioso-sanguineum, morosam mentem: morbi dies hæc erat duodecima. Secta bis fuerat in brachio vena. Me ergo jubente, parata est ptisana ex decocto radic. Graminis, Chelydon. major. additis sub decoctionis finem Scolopend. foliis Enema immissum est ex emolliente decocto & Nymphati Mellis ℥. iv. In crastinam verò diem sequens Catharticum præscripsi:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Rhei, ʒ. j.
Mellis aerei, ℥. ij. ß.
Sal. de Absynth. ʒ. j.
Syr. de quinque Radicib. ℥. j. in aq.

℔. j. f. ex arte p. lax. ad duas doſes.

Ritè ſubducta eſt alvus, uberrimaque urina ex flavo tamen nigricans defluxit.

Die 13. tantillùm detumuerat venter, alvus erat liquida, raræ admodùm nauſeæ, facilis urina. Sequens Apozema tertiâ quâque horâ ſumpſit æger:

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. Cichor. Chelydon. major. & Scolopend. ana M. ß.
Manna, ℥. ij.
Sal. Abſynth. ʒ. j. in ſ. q. ſ. aq. ad duas doſes ſ. a. parandas.

Tam feliciter uſurpata ſunt Apozemata, ut ſequentibus quatuor diebus fuerint repetita, exitu pari.

Die 18. ut humores præparati, validiùs per inferiora protruderentur, inveteratæque ſolverentur obſtructiones, ſequentem Opiatam præſcripſi:

℞. Rhei Electi, ℥. ij.
Jalap. & Mechoacann. ana ℥. j.
Croci, ʒ. ß.
Limat. Chalyb. ppt. ℈. ij.
Cum ſ. q. Syr. de v. Radicib. f. Op. ad pondus ʒ. j. bis quotidiè voranda: non omiſſis interim Clyſteribus ex emolliente decocto paratis.

Hâc uſus eſt Opiatâ ad diem uſque 29. quâ quidem ſe meliùs habere prædicavit æger.

Die ultimâ Maii, inanes nauseæ denuò laborantem vexavêre, quibus ut prompta daretur medela, sequens instituta est potio:

℞. Aq. Bugloss. & Melissæ, ana ℥. ij.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j.
Theriacæ veteris, ℈. ij.
Sal. de Absynth. ʒ. ß.
Syr. Absynth. & Diacod. ana ℥. ß.
f. p. Cochleatim potitanda.

Sedatus est indè vomitus: attamen ut metuenda præcaveretur inflammatio, secta est proximo die saphena ad detracti sanguinis ℥. xij. Sub vesperum immissus est Clyster ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv.

Die 2. Junii, immissa sunt Enemata manè & serò. Verumtamen ad viscidam illuviem ventriculi tunicis inhærentem & impactam radicitùs divellendam; Emetico-Catharticum sequente modo institui:

℞, Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. f. colat. in duas doses distrib.
In primâ dissol. Sal. Stib. g̃. iij.
In secundâ, Manna ℥. ij. ß. & Sal. Epsomiens. ʒ. iij.

Sine labore, sine virium detrimento, copiosissimam materiam egessit per superiora & inferiora; nocteque sequente placidissimo indulsit somno.

Die 4. sequenti infuso per dies quatuor usurpato, affectum ictericum evellere ten-

tavi; ſufficientes evacuationes præmiſiſſe putans univerſales:

℞. Fol. Chelydon. major. M. j.
Summit. Abſynth. Pont. & Centaur. min. ana p. j.
Radic. Rubiæ tinctor. ℥. ß.
Cinnamomi, ʒ. ß.
Croci, ℈. ß. infund. per noctem in vini albi ℔. ß.
Colaturæ adde Sacchari albi ℥. ß. capiat æger manè, tribus horis antè paſtum.

Cum autem in curâ lentiſſimè procederet hoc infuſum; præterea dulciter penetrantibus aquis tutior & promptior fieri videretur morbi ſanatio; Paſſyacas veteres aquas exhibendas eſſe judicavi. Harum ergo ℔. ij. primâ die potavit; ſecundâ verò ℔. iij. tertiâ ℔. iv. die ſextâ ℔ vj. ſicque pergendo per menſem; & ut magis laxaretur alvus, in earum Cyatho priore ſoluta eſt modò Sal. Veget. ʒ. j. ß. modò Manna ℥. ij. Vix autem per dies viginti dictas potaverat aquas, & fugatis cæteris omnibus ſymptomatis, color naturalis redierat.

Porrò hoc in praxi Medicâ venit obſervandum, quòd vir ille per menſem integrum innumeras, ovorum columbinorum ad inſtar, bullas, tenuiſſimâ pelle obvolutas, flaveſcente liquore repletas cum fæcibus alvinis dejecerit.

OB-

OBSERVATIO II.

DIe 18. Octobris 1726. vocatus ſum auxilio nobilis cujuſdam viri, annos nati 52. Diuturno morbo laboraverat in Villâ, ex quâ Lutetiam redierat infirmus: poſt paucos autem dies in morbum denuò incidit. Febris urget, abdomen intumeſcit, univerſum corpus ictericum conſpicitur, incerti errant oculi; vena bis in brachio ſecatur, immittuntur Enemata, arquatus ingraveſcit morbus, mente labitur æger; cui tamen medelam allaturus advocor. Pulſus erat durus, profundus, frequens; temperamentum ſanguineo bilioſum, mens hilaris & fervida, gracile corpus. Statim ergo ducta eſt è ſaphena ℔. ſanguinis j. Sub veſperum injectus eſt Clyſter ex temperante decocto, & Mellis Nymph. ℥. iij. alter ſimili decocto paratus, horis ſcilicèt quatuor ab immiſſo priore. Noctem licet inſomnem duxerit, ſuæ nihilominùs mentis compos factus eſt. Alvus quantitate paucâ ſubducta eſt.

Die 19. memorata perſeverabant ſymptomata, paululùm tamen mitigata. Injecta ſunt Enemata prioribus ſimillima. Fotus ventri admoti ſunt, Emulſioneſque fuerunt exhibitæ.

℞. Semin. iv. frigid. major. ℥. j. ß.

Semin. Papaver. albi ʒ. ß.
Amygd. dulc. Excortic. N°. ij.
Aq. Nymph. ℥. xij.
Syr. Nymph. ℥. j. f. s. a. Emulſ. ad duas doſes.

Nocte totâ, æſtu febrique jactatus eſt æger, tantâque ſævitiâ morbus increbruit, ut extremos ſpiritus trahere crederetur. Hæc mane proximo mihi relata ſunt à Pharmacopæo, qui juxtà ægrum pernoctaverat inſomnis.

Die 20. manè, Clyſter immiſſus eſt ex Siliq. Egypt. contuſ. ℥. iv. Deindè præparati ſunt humores eliminandi, Apozemate ſequente:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Syr. viol. ℥. j. ß. in ſ. q. aq. f. Apoz. in tres doſes diſtrib. Fotus repetantur ut ſuprà.

Veſperè infuſus eſt Clyſter: Emulſiones ſimiliter paratæ ſunt: potus ordinarius paratus eſt ex pulli gallinacei decocto. Parùm dejecit æger, durum remanſit abdomen; nox priore tranquillior fuit.

Die 21. lento gradu res ferebantur; ità tamen ut ſpes tantula ſalutis affulgeret. Pertinacis ergo morbi cauſam ab humoribus vitiatis fermenteſcentibus repetens; in primâ Apozematum doſi, Mellis aërei, ℥. ij. eſſe ſolvendas judicavi; ut efficacius fieret remedium, ſenſimque viſcerum infar-

ctus tolleretur; ac tandem, reſtitutâ ſolida inter & fluida actione reciprocâ, ad fortius & potentius medicamen confugere liceret. Mediocriter dejecit æger; mediocre levamen accepit. Horâ verò decimâ ſerotinâ julepum exhibuimus:

℞. Aquar. Lactuc. & Nymph. ana ℥. ij.
Syr. Nymph. & Diacod. ana ℥. ß.
f. jul.

Placida nox fuit.

Die 22. manè, paucam ſymptomatum remiſſionem agnoſcens, validioribuſque remediis naturam humorum pondere obrutam judicans adjuvandam; viis præſertim præparatis, ſequentem Catharticam tutò præſcripſi miſturam:

℞. Follic. Senn. ℨ. ij.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj. Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. f. duæ doſes.
In priore diſſol. Sal. Stib. g̃. ij.
In alterâ Mellis acrei, ℥. ij.

Modicam illuviei viſcidæ copiam vomitu reddidit: uberrimam ſeceſſu. Major & conſtans futuræ ſanitatis ſpes affulſit. Paratus eſt horâ ſomni jul. ſimilis.

Die 23. manè & veſperè, Clyſteres immiſſi ſunt. Ut autem perſeveranti febri conſuleretur, ſequentia in proximum diem parata ſunt Apozemata:

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. Cichor. & Ceræfol. ana M. ß.
Cortic. Peruvian. contuſ. ℥. ß.

Syr. Corall. ℥. ß. in aq. ſ. q. ad tres doſes quartâ quâque horâ ſumendas, juſculis intermediis.

Similiter actum eſt die 25. febriſque remiſit inſigniter.

Die 26. in primâ Apozemat. doſi ſolutæ ſunt Manna ℥. ij. ß. In dies omnia devenêre meliora.

Die 28. ab omni febre perfunctus ultimò purgatus eſt:

℞. Follic. Senn. ℥. j. ß.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de pomis comp. ℥. j. f. ſ. a. hauſtus.

OBSERVATIO III.

DIe 19. Decemb. 1726. nobiliſſimus Abbas *** annos natus circiter 32. laborans Ictero, citatim accivit me. Corpus univerſum colore ex flavo vireſcente conſpurcatum erat; nauſeæ frequentes oris amarore ſtipatæ moleſtabant ægrum; ſpontaneis laſſitudinibus corporea moles velut obruta jacebat; colorem ex flavo rubrum exhibebat urina; qui quidem color è matellionis etiam eluti fundo & parietibus vix poterat auferri; tumebat hepatis regio, alvus erat adſtricta, pulſus parvus, profundus, gravatum caput: temperamentum autem ſanguineo-bilioſum, gracile corpus, mens hilaris. fervida, acutiſſi-

mum ingenium. Antequam accessissem, missæ fuerant è brachio ℥. sang. xij. sequens infusum est Enema:

℞. Decocti Emollient. s. q.
Adde Mellis Nymph. ℥. iij. f. Clyst.

In proximum diem parata sunt Apozemata:

℞. Folior. Buglosf. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. j.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
Colat. adde Sal. Epsomiens. ʒ. vj.
Et Syr. de v. Radic. ℥. j. ß. f. Apoz. in tres doses distrib. & tertiâ quâque horâ sumend. jusculis intermediis.

Ptisana parata est ex decocto radic. Graminis, Asparagi & Petroselini, cum Salis Nit. ʒ. j. ß. in decocti ℔. iv.

Die 21. similiter actum est. Quanquam autem ab Apozemate, adjunctisque Clysteribus alvus subduceretur; cibos tamen fastidiebat ventriculus, ipsaque vomitu juscula emittebat; malum, uno dicam verbo, in dies ingravescebat; parùm fluebat urina. Supradictæ ptisanæ addita est radic. Rubiæ tinctorum, & Chelyd. maj. ana ℥. j. Apozemati verò folior. Chelyd. maj. M. j. Summit. Absynth. & Centaur. min. ana p. j. Radic. Rubiæ tinctor. ℥. ß. Cinnamomi ʒ. ß. Croc. ℈. ß. Cæterorum ingredientium imminutâ parte dimidiâ, Saleque Epsomiensi omisso. Per biduum

hæc facta ſunt, quæ minoris efficaciæ fuerunt; nauſeabundo ſcilicèt remanente ventriculo. Quapropter præparatis humoribus, Cathartica ſequens inſtituta eſt purgatio.

℞. Follic. Senn. Rhei Electi, ana ʒ. j.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.
Mellis aerei, ℥. ij. ß.
Salis Veget. ʒ. j. in aq. ℥. xij. ad duas doſes ex arte parandas.

Hauſtam doſim ſecundam ſtatim vomitu reddidit æger, multis concomitantibus violentis conaminibus: copioſas tamen dejectiones adduxit purgatio.

Die proximo, Apozemata reſumpſit æger, in quibus ſolutæ ſunt Manna ℥. iij. alvus ſat indè ſoluta eſt, eundem interim Ictero ſervante typum. Quamobrem poſt dies quatuor, ad Paſſyacas veteres aquas, me jubente, confugit laudatus æger, gradatimque quotidiè ℔. vj. hauſit; in quibus, altero quoque die ſoluta eſt Sal Epſomienſ. ℥. ß. additâ etiam aliquando Sal. Veget. quantitate ſimili.

Diebus ſex emenſis, memorata diſcutiebantur ſymptomata, Catharticum præſcripſi:

℞. Follic. Senn. Rhei & Agaric. ana ʒ. j.
Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. iij.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Centaur. min. ℈. ij. in ſ. q. aq. f. ſ. a. p. in duas doſes diſtrib.

Laxans hæc potio, quam quidem jucundè tulit ventriculus, uberrimas dejectiones procreavit. Postridiè verò, laudatæ rursùm haustæ fuerunt aquæ ad ℔. viij. postque dies octo Catharticum priori simile sumpsit æger. Hæc dum peragebantur naturalis redibat color, cibi cupido crescebat, alvus tenera servabatur, firmâ mente & placidâ libros evolvebat convalescens; uno dicam verbo vix uno mense elapso, & nulla periculosissimi morbi labes deprehensa fuit. Ultima tamen hæc purgatio præscripta est:

℞. Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Tabellar. Diacarthami, ʒ. ij.
Sal. Centaur. min. ʒ. ß.
In decocti de Cichor. parati s. q. pro dosi.

Hic omnibus exitu prosperrimo tentatis, laudatum rogavi virum, ut quotidiè unâ ante prandium horâ sequens sumeret infusum:

℞. Cortic. Peruvian. contus. ʒ. ß.
Rhei, ʒ. j. in aq. ℥. vj. f. &c.

OBSERVATIO IV.

Die 8. Septembris 1727. invisi Dominam *** annos natam circiter 54. duobus ab annis Ictericam. Corporis to-

tius color erat ex nigro flavescens; fæces alvinæ albæ prostratus appetitus, exhaustæ vires, lenta quoque febris artus depascebatur. Multa tentaverat olim remedia; quæ morbo vires addiderant. Temperamentum erat bilioso-sanguineum, morosa mens, ordinatum vitæ genus. Ut ergo languenti sanguinis motui primò provideretur, missæ sunt hoc die ℥. illius xij. è brachio. Ptisana parata est ex decocto radic. Graminis, additis, versùs decoctionis finem, Cichor. & Scolopend. foliis; in hujus decocti ℔. iij. soluta est Sal. Nit. ʒ. j. in sequentem verò diem institutum est sequens Apozema:

♃. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. ß.
Fol. Chamædr. Fumar. & flor. Centaur. min. ana p. j.
Radic. Chelyd. maj. ℥. ß.
Follic. Senn. ʒ. ij.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de v. Radic. ℥. j.
In aq. ℔. j. ß. f. s. a. Apoz. ad tres doses, tertiâ quâque horâ sumend. jusculis intermediis.

Laudabiliter subducta est alvus.

Die 10. Similiter actum est omissis purgantibus; & sic vicibus alternis, modò cum, modò sine laxante, usque ad diem 18. quo quidem sequens instituta est purgatio:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Epſomienſ. ʒ. iij. in aq. ℔. ß. &c. pro hauſtu.

Sic itaque omnibus adhibitis præparationibus, & inteſtinâ obſtructione debellatâ, Paſſyacas veteres aquas propoſui, quas aſſiduè ſumpſit æger diebus viginti continuis, quotidiè ad ℔. v. in quarum Cyatho priore ſoluta eſt alternatim, modò Sal. Epſomienſ. ℥. ß. modò Sal. Glauberi ʒ. j. ß. vel Salis Polychreſti Rupellenſ. ℥. ß.

Poſt ergo dies 20. ægrotans ab aquis mineralibus abſtinuit, modo ſimili purgata eſt, quo fuerat antequam ad eas confugiſſet. Cùmque convaleſcens videretur, monui ut unoquoque menſe, per dies octo pulverem ſumeret paratum ex Rhei ℈. j. & Limat. Chalyb. g̃. xv. in unâ & alterâ jurulenti panis offâ, horâ prandii. Monitis obtemperavit, & nulla tam pertinacis morbi labes remanſit. Ad majorem tamen cautelam, laudatas hauſit aquas Vere proximè ſecuto.





SECTIO XIII.

DE MENSTRUIS Vel inordinatè, vel difficilè fluentibus, vel iisdem imminutis, retentis aut suppressis.

OBSERVATIO I.

Die 4. Decembris 1726. nobilis Domina *** accersivit me daturum opem unigenitæ filiæ suæ annos natæ 17. Plurimis jamdudùm circà renes doloribus, spontaneisque lassitudinis affictabatur; ipsique sæpè sæpius caput dolebat; cibos denique fastidiebat omnes. Porrò die Novembris 26. parùm & laboriosè Menstrua stillaverunt ad diem usque 28. quibus cessatis dicta sæviêre symptomata. Pulsus erat inæqualis, intermittens, alvus pigra, pallidus faciei color. Temperamentum pituitosum, sollicita mens, corpus carnosum. Notandum hoc venit, quòd illa nobilis puella nunquam ad dictum diem Novembris 26. fuisset menstruata; si enim catameniorum eruptionem sæpiùs passa esset, saphena statim fuisset aperta, ut legitimus revocaretur fluxus, vel à sanguinis missione, laboranti naturæ supplementum accederet. Ast in menstruandis virgi-

nibus, ubi tempore ipſiuſmet laborioſi fluxûs, Medicus non advocatur; uterique vaſa plurimis abhinc diebus occluſa, legitimam menſtrui ſanguinis quantitatem denegant: ibi naturæ vim inferre nemo audeat. Conſiderantis ergo conſideratis, ab omni venæ ſectione abſtinendum eſſe judicavi, ne ſi fieret in cubito, ſanguis ad ſuperiora præceps reſpirandi difficultatem adaugeret, menſiumque vel ſuppreſſionem vel inordinatum fluxum poſteà gigneret. Si autem in pede, partium inferiorum importaretur obſtructio, &c. Saphenæ tamen ſectionem efficaciſſimam opportuno tempore factam decernens, ad aliquot dies ante futura Menſtrua procraſtinavi; ubi dicta ſcilicèt ſymptomata flores prænunciarent. Ventriculo nihilominùs imperfectè concoquenti, præſentaneam dedit opem decoctum Baccar. Junip. & Semin. Coriand. in ſ. q. aq. cum Sacchari q. ſ. Clyſteres immiſſi ſunt vel ex aquâ ſolâ, vel ex emolliente decocto & Melle Mercuriali, prout opus fuit. Alvus pro votis ſubducta eſt, dolores ſedati ſunt.

Die 19. veſperaſcente, prænuntia prodière ſymptomata; ducta eſt manè proximo ℔. ſanguinis j. è ſaphenâ, Cyathimque miſturam hanc hauſit ægrotans:

℞. Fol. Abſynth. M. j.

In vini albi & aquæ ana ℔. j. f. ma-

ceratio horis circiter quatuor. Coletur liquor cui adde ſuccum duorum malorum aureorum acidorum (gallicè *Bigarades.*)

Diebus 20, 21, 22 & 23. immiſſa ſunt Enemata ex fol. Verbaſci decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij. infuſumque ſuprà deſcriptum quotidiè, etiam menſtruata ſumpſit.

Die 25. ſub veſperum, placidè floruit uterus, legitimâque quantitate fluxus perſeveravit ad diem uſque 28. incluſivè; quo tempore omiſſa ſunt Enemata. Notandum eſt, dolores ſcilicèt & laſſitudines fugiſſe ſecundo ac eruptis catameniis die.

Die Januarii 3. Catharticum fuit inſtitutum:

℞. Rhei Electi & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Abſynth. ʒ. j. in aq. ℥. vj f. ſ. a. hauſtus.

Similiter actum eſt menſe proximè ſecuto, ſaphenæ ſectione omiſſâ; facilitate ſimili Menſtrua fluxêre, & in poſterum nihil incommodi paſſa eſt.

OBSERVATIO II.

DIe 28. Martii 1727. accivit me nobilis Domina *** annos nata 48. Inordinatum Menſtruorum fluxum plurimis

jam abhinc mensibus patiebatur; ita ut modò bis in mense, modò semel intrà quatuor menses menstruaretur; undè legitima mensium suppressio imminebat. Cancer olim in dextrâ mammâ fuerat resectus, à quo superstes glandularum in farctus in insignem deveniebat molem. Porrò pertimescendum hoc erat, ne ad affectam partem natura crisim exitiosam moliretur. Lancinantes interdùm dolores in mammâ suboriebantur, quorum quidem sensum non mediocriter exacuebat ægrotantis timor. Aderant ex intervallo vertigines, anxietates. Pulsus erat durus, turgidus: temperamentum bilioso-sanguineum, fervida mens, obesum corpus. Ductæ sunt è brachio ℥. sanguinis xij. præ nimiâ verò spissitudine vix & vix è venâ fluebat. Sub vesperum immissus est Clyster ex emolliente decocto, & Nymphati Mellis ℥. iij. Ptisana parata est ex decocto radic. Graminis & foliis Cichor. sub finem additis.

Die 29. manè, infusum est Enema priori simile. Vesperè autem missus est è saphenâ sanguis ad ℔. fermè unam, ne sanguis ad superiora cum impetu fluens, mammæ majorem afferret infarctum. Anxietates & vertigines indè mitigatæ fuerunt.

Nota, quòd à saphenæ sectione abstinuissem, si fluorem album passa esset ægrotans; ulcus enim uteri, vel aliud gra-

ve ſymptoma timendum veniſſet. Ratio autem & experientia docent omittendas eſſe ſaphenæ ſectiones, præſertim repetitas, ubi fuit vel eſt copioſus fluor albus, ſive benignus, ſive malignus, præcipuè in mulieribus legitimam catameniorum ſuppreſſionem expectantibus, vel patientibus. Aſt ſanguinis è brachio miſſionem, habitâ ratione hujus magis vel minùs redundantis, repetitam vetulis ſemper prodeſſe. Sic quoque ſedata ſunt laudatam ægrotantem vexantia ſymptomata.

Die primâ Aprilis, fuit hæc inſtituta purgatio :

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. veget ʒ. j.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. p. lax. uno hauſtu ſumenda.

Ubertim alvus ſubducta eſt.

Die 4. diluta eſt Catholic. duplic. ℥. j. in aq. ℥. vj pro hauſtu.

Verùm largiori diætæ ſe tradens, alimentaque pravi ſucci quotidiè ſumens, febre tertianâ intermittente, tunc Epidemicâ, intrà paucos dies correpta eſt; die nempè Aprilis 22. ſequens Apozema præſcripſi :

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.
℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ʒ. iij.
Syr. de Abſynth. ℥. j. in aq. ℔. j. ß.

f. s. a. Apoz. in tres doses distrib. & quartâ quâque horâ sumendas, jusculis intermediis; repetatur donec prohibeatur.

Die 25. feriantem à febre laborantem purgavimus:

Fiant Apozemata solito more, addendo insuper
Rhei Electi. ʒ j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Et Sal. Veget. ʒ. j. exhibe ut prius.

Copiosas quidem dejectiones adduxit Catharticum. Attamen proximo die febrilis paroxysmus ægram invasit. Itaque non decoctum ex Cortice Peruviano paratum, sed Cortex ipse sequente modo exhibitus est.

℞. Cortic. Peruvian. pulver. ʒ. iij.
Affunde aqu. vitæ Cochlear. iv.
Fiat infusio horis iv. dien adde aq. ferventis ℔. j. ß. ad tres doses sine colaturâ paribus intervallis exhib.

Die 27. instituta est purgatio:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Et Sal. Veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. &c.
Duæ tamen febrifugæ doses post meridiem resumantur.

Die 28. febris ex toto quievit. Attamen convalescentem hortatus sum, ut ad ineuntem usque Maium bis quotidiè su-

meret Apozemata, & semel usque ad medium eundem mensem.

Antequam autem ex hâc urbe villam profectura discederet, monui, ut altero quoque mense sanguinem è brachio sibi mitti sineret; secundâ vero vice alternâ, saphena secaretur, quam quidem sectionem esset quoque subsecutura purgatio: posteà balneis uteretur domesticis, quo tempore juscula ex amaris parata sumeret. Facta sunt quæ proposueram; atque firmatâ sanitate fruens, Lutetiam rediit mense Novembri.

OBSERVATIO III.

DIe quinto Maii 1727. accersitus fui curaturus nobilem Dominam *** annos natam 37. Parùm & difficilè menstruata fuerat declinante Aprili; unde oculi caligine, caput vertiginibus, aërem inspirandi & expirandi difficultate, pulmo; renes doloribus, membra lassitudinibus non rarò laborant. His omnibus probè perpensis, ducta est è saphenâ ℔. sanguinis j. Temperamentum erat bilioso-sanguineum, festiva mens & fervida, corpus obesum.

Die 6. manè, Clyster immissus est ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij. Alvus quæ prius erat adstricta, tunc

ubertim fuit ſubducta. Sub veſperum alter injectus eſt ex aq. fluviali.

Die 7. purgans parata eſt potio:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in ſeri lactis ℔. j. f. ſ. a. p. lax. in duas doſes diſtrib.

Copioſas dejectiones produxit potio, omniaque remiſêre ſymptomata.

Diebus 8. & 9. ſuperſtitem circà renes dolorem & ardorem mitigavit continuus Emulſionis uſus:

℞. Semin. iv. frigid. major. ℥. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. viij.
Seri lactis ℔. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j.
Aq. Naphæ ℥. j. f. ſ. a. Emulſ. Cyathim exhib.


Die decimâ laxantem miſturam ſumpſit ægra:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de pomis comp. ℥. j.
In aq. ℔ ß. f. hauſtus.

Die 11. balneis uſa eſt domi, duabus ſcilicèt horis quotidiè manè, per dies 15. quo tempore elapſo, ultimam hanc laxantem hauſit potionem:

℞. Rhei, ʒ. j.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal Epſomienſ. ʒ. j. ß.
In aq. ℔. ß. f. &c.

Quibus omnibus peractis, laudatam monui Dominam, ut quotidiè in unâ & alterâ jurulenti panis offâ sumeret Chalyb. ppt. ℥. xij ut fibrarum elater firmaretur, fluidaque moles attenuata fluidiorem motum adipisceretur. Ubi verò signa quædam catameniorum prænuntia accederent, tunc succum ex arangiæ pomis acidis (gallicè *Bigarades*) in jusculo, tribus scilicèt diebus continuis exhauriret. Honorem monito debitum persolvit, dictaque fugata sunt symptomata.



SECTIO XIV.

DE MORBILLIS.

OBSERVATIO I.

Die 22. Decembris 1724. quidam adolescens annos natus 14. Morbillis correptus est. Morbi dies hæc erat tertia. Sub macularum rubicundarum formâ lenticulares eminentiæ cutis planitiem excedebant. Præcesserant autem serosa per nares excretio, sternutatio frequens, tussis sicca; quibus tandem successerat palpebrarum intumescentia. Febris ardebat, alvus erat adstricta. Ptisana parata est ex decocto radic. Graminis & Scorzoneræ; in cujus altero quoque Cyatho dilutum est

vini *medicamentoſi* ex ſaccharo, Cinnamomo & Nuce Moſchatâ parati Cochlear.

Die 23. rebus ſe proſperè habentibus, ſpectator fui, non actor. Similiter actum eſt ad diem 28. quo ſequens inſtituta eſt purgatio:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amigd. dulc. ℥. ij. in aq. Cyatho f. &c.

Alvum ubertim exoneravit, venterque detumuit.

Die ultimo Decembris, potionem laxantem exhibuimus:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de pomis comp. ℥. j. f. hauſtus.

OBSERVATIO II.

DIe 13. Junii 1725. accerſivit me nobilis Domina *** filia, annos nata circiter 24. Habitu erat macilento, fervidâ feſtivâque mente, temperamento ſanguineo-bilioſo; cætero quin ipſa minimæ erat eſcæ. Febre primùm fuerat correpta die menſis ejuſdem undecimâ: quæ tandem febris capitis doloribus initio quidem obſcuris, dein pungentibus, gravativâ; ut ita dicam, membrorum defatigatione, renum ardore, oculorum caligatione ſtipata eſt, intercurrente rarâ tuſſi.

Porrò ex præſentibus ſymptomatis;

malignum præjudicavi morbum. Quamobrem parata eſt ptiſana ex decocto Graminis & Scorzoneræ ; quæ ptiſana parvâ quantitate vini commiſta, frequentibus, ſed exiguis hauſtibus ducebatur. Notandum venit quod inſtarent uterini flores. Ut autem amicus eliceretur ſudor, potio ſequens parata eſt :

℞. Aq. Card. Bened. Scorzoner. & Meliſſæ, ana ℥. j.
Conſect. de Hyacinth. ʒ. j.
Sang. Ibicini, ʒ. j.
Syr de Tunicâ, ℥. j. f. p. ad tres doſes alternis horis exhib.

Laudabilis prorupit ſudor ; nec tamen induſia depoſuit ægrotans.

Die 14. mea non fefellit expectatio ; nam cutis ſuprà pectus quam plurimis jam maculis erat conſperſa rubris ; tuſſis increbruerat ; imminuta verò febris. Potionem ſequentem Cochleatim potitavit ægra :

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv. f. p.

Nox placida fuit, favente ſomno. Sedata eſt tuſſis.

Die 15. manè, corpus à capitis vertice ad plantas uſque pedum, Morbillis gemmacentibus (gallicè *Rougeoles boutonnées*) opertum erat. Paratum eſt vinum generoſius redditum, prudenti ſcilicèt ſacchari, Nucis Moſchatæ & Cinnamomi conſocia-

tione. Cochleatim verò ſingulis binis horis hæc potitabatur mixtura; hujuſque Cochlear unum quaternis quibuſque ptiſanæ ſupradictæ hauſtibus immiſcebatur. Res pro votis actæ ſunt. Inclinante die, prodière menſtrua; ordinatè proceſſerunt omnia: eandem quam inſtitueramus viam tenuimus, tam quòad vini & ptiſanæ potionem, quàm ad victum: victus autem non fuit partior, ſed contra; manè ſcilicèt jurulentum panem manducavit ægra, medio die recens ovum ſorbuit, inclinante die offam panis toſtam, vino & ſaccharo aſperſam devoravit, juſculis non omiſſis.

Die 16. inſtituta eſt potio ſequens:

℞. Aq. Scorzoner. ℥. iij.
Syr. de Althæa, ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Die 17. evaneſcere cœperunt Morbilli, omniaque pariter ſymptomata.

Die 18. liberam alvum reddidit Enema ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis, ℥. iij.

Die 21. ceſſato penitiùs uterino fluxu, compoſitum eſt ſequens Catharticum in proximam diem:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.
Tamar. ℥. j. Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
F. Colat. in tres doſes diſtrib. juſculis intermediis.

Ritè ſubducta eſt alvus, febriſque depulſa.

Die 25. ultimò purgata eſt convaleſcens.

℞. Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Manna Calabrini, ℥. ij. ß.
Sal. Epſomienſ. ʒ. ij.
In aq. ℔. ß. f.ſ. a. p. lax. uno hauſtu ſumenda.

OBSERVATIO VIII.

DIe 27. Junii 1725. Morbillis gemmaſcentibus correpta eſt nobilis filia D.*** Regiorum Dominiorum Ærarii Tribuni, annos nata 19. ardebat febris, micabant oculi, multo quaſi labore fractum corpus jacebat, frequens ſæviebat tuſſis, fluebant menſtrua; tota denique cutis rubens papulis erat exarata. Parata eſt pro potu ptiſana ex decocto radic. Graminis & Scorzoneræ, in cujus altero quoque Cyatho immiſcebatur parca vini Burgundi quantitas. Compoſita eſt etiam quæ ſequitur potio:

℞. Aquar. Card. bened. Meliſſæ & Scorzoneræ, ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Syr. de Tuſſilag. ℥. j. f. potio ad duas doſes.

Febris vesperè remisit, mitigata est tussis, probè maduit cutis. Confecta est sequens potio:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ʒ. v. f. p.
Cochleatim potitanda.

Die 28. rebus eodem modo se habentibus, repetita est eadem oleosa potio. Declinante verò die, catamenia desiisse dixit ægrotans. Solitâ autem quantitate dierumque mensurâ fluxerant.

Die 29. manè, immissum est Enema ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis, ℥. iij. Proxima nox tranquilla fuit.


Die 30. Cathartico sequente subducta est alvus:

℞. Manna ℥. ij. dissol. in aq. ℔. ß.
In Colat. dilue Ol. amygd. dulc. ℥. ij. f. haustus.

Die 2. Julii, Morbillis jam longè discussis, parata est in sequentem diem laxans hæc potio:

℞. Siliq Ægypt. contus. ℥. iij.
Manna, ℥. ij.
Sal. Glauber. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Victus, toto morbi curriculo, sicut Observat. II.



OBSERVATIO IV.

Die 8. Julii 1725. curavi filiam natu-minorem ejuſdem Tribuni Regiorum Dominiorum Ærarii, annos natam 12. Morbillis ſimplicibus laborantem. Parata eſt ptiſana ex decocto radic. Gramin. & Scorzoneræ, in cujus tertio quoque hauſtu diluebatur Cochlear vini *Medicamentoſi* compoſiti ſicut Obſervat. II. Ut autem tuſſi couſuleretur, eodem tempore compoſita eſt potio ſequens:

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Adde Syr. Papaver. errat. ℥. j. f. p.
Cochleatim exhib.

Diebus 9, 10, 11 & 12. res proſperum tenuêre curſum; Morbilliſque penitùs diſcuſſis, parata laxans hæc potio:

℞. Mellis aërei, ℥. j. ß.
Medull. Caſſ. mund. ℥. ß. in ſ. q. aq. pro doſi.

Ritè ſubducta eſt alvus, nullo infantem moleſtante ſymptomate.

Diebus 14 & 15. liberam alvum tenuerunt Enemata. Ultimamque purgationem ſumpſit ægra die 16.

Sic, intrà paucos dies, ad Cachinnos feſtiva rediit puella.

OBSERVATIO

OBSERVATIO V.

DIe octavo Junii 1727. curavi filium nobilis Domini *** Equitis, annos natum 12. Morbillis laborantem. Pro potu ordinario sumpsit decoctum radic. Gramin. & Scorzoneræ, diluendo in unoquoque Cyatho vini Burgundi Cochlear. Tertiâ autem quâque horâ potitavit Cochlear vini præparati cum Cinnamomo, Caryophyllis, Nuce moschatâ & Saccharo. Juscula parata sunt ex duplâ bubulæ carnis quantitate, unâ vitulinæ, & caponis parte dimidiâ. Sic in alimentis medicamina, in medicamentis alimenta dedimus. Nil ultrà tentatum est ad diem usque 14. quo quidem depulsis omnibus morbi symptomatis, prima fuit hæc administrata purgatio:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. j. ß. f. s. a. p. lax. pro dosi.

Alvus abundè subducta est, tamque prosperè res gestæ sunt, ut die 17. ultimum fuerit adhibitum Catharticum:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. haustus.



OBSERVATIO VI.

Die 17. Julii 1727. accivit me Dominus ***. auxiliaturum filiæ ſuæ annos ſeptem natæ, Morbillis laboranti. His autem fuerat correpta die menſis ejuſdem 13. biſque venæ ſectionem paſſa erat. Talis curatoria methodus naturam avocaverat ab opere; hinc infans victima æſtu febreque jactata, convulſionibus interdùm tentata, in agone verſari credebatur. Modò corpus univerſum rubore perfuſum erat, modò pallebat. Tuſſis frequens pulmonem laceſſebat, ab humore *Morbilloſo* intùs coërcito: tumebat venter, tenerrima fluebat alvus. Immiſſum eſt Enema ex radicis Altheæ, & Seminis Lini decocto. Juſcula parata ſunt ex vitulinæ carnis & bubulæ ana p. æ. cum raſurâ cornu Cervi & Orizâ. Potio quoque ſic inſtituta:

℞. Aquar. Flor. Tiliæ, ℥. iij.
Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Syr. Althææ & Diacod. ana ʒ. vj. f. p.
Cochleatim exhib.

Die 18. ſpes exigua ſalutis relinquebatur; ſpectator fui, non actor. Nox tamen placida fuit.

Die 19. mitigata eſt tuſſis, ſimiliterque febris. Immiſſum eſt Enema temperans, repetita eſt potio ut ſuprà. Venter detu-

muit; ſedata eſt quoque diarrhæa. Nil novi proximo die tentatum eſt.

Die 21. purgata eſt infans:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Ol. amygd. dulc. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. hauſtus.

Vix Catharticam hauſit miſturam, & hanc vomitu reddidit, alvus tamen propter prementes abdominis muſculos à nauſeabundis conatibus, laudabiliter ſoluta eſt. Immiſſum eſt Enema veſperè.

Die 22. exhibita eſt potio ex Ol. amygd. dulc. & Spermate Ceti parata.

Die 23. tumebat venter, proſtratus erat appetitus, aderat oris amaror: itaque cùm liquidum purgans faſtidiret ægra, ſic inſcia purgata eſt in juſculo:

℞. Pulver. de tribus g̃. xx.
In juſculo mixta exhibeantur.

Legitimâ quantitate vomitu & ſeceſſu egeſſit: cibi cupido rediit, largiorem diætam conceſſi.

Die 24. immiſſum eſt Enema ex aquâ & Melle Nymphato. Verùm ex intervallo datæ ſunt Emulſiones ſic inſtitutæ:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. vj.
Semin. Papaver. albi, ℥. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. iv.
Syr. viol. & Diacod. ana ℥. vj.
In decocti ex hord. parati ℔. ij. f. ſ. a. Emulſ.

Somnus rediit, fugata eſt febris.

Die 25. ultimò purgata est convalescens.

℞. Pulver. de tribus ℈. j.

In Emulſ. ℥ vj. omiſſo Diacodio, f. hauſtus.

Ubertim ſoluta eſt alvus, firmamque ſanitatem recepit infans.

Nota quòd ad refrigerantia confugerim, eò quod nihil à centro ad circumferentiam erumpendum ſupereſſet; fluidorum autem effervescentiæ, ſolidorumque *Criſpaturæ* præſertim eſſet conſulendum.

Annotationes practicæ circà Morbillorum curam.

Non majorem ſanatorum retuli numerum, eò quod omnibus eadem per Cardiaca fuerit adhibita methodus.

2°. Quanquam vinum *Medicamentoſum* ex ſaccharo, &c. paratum, omnibus Morbillos patientibus adminiſtraverim; cautela tamen ſervanda venit, ut majori vel minori quantitate ſumatur, prout lentiùs vel citiùs in exantematum eruptione natura procedit.

3°. Circà venæ ſectionem hoc obſervandum, ut turgentibus vaſis, quantum fieri poteſt, ante eruptionem, ſanguis ſapienter mittatur è brachio; vel è pede, ſi acutus capitis dolor adſit, vel delirium immineat. Plurimi verò ſunt caſus, in quibus venam ſecare non expedit, & à venæ ſectione nimis & incautè repetitâ plures necantur, pauci ſanantur.

4°. In ſex caſibus relatis, de morbillis ordinatè, placidèquè procedentibus agebatur. Ubi verò periculoſa, excandeſcunt ſymptomata, qualia ſunt delirium, gravatum caput, febris deurens, & ſimilia; vel ardorem remediis intùs aſſumptis temperare, vel venam tùm è brachio, tum è pede, pro diverſis indicationibus aperire licet; omni etiam morbillorum tempore. Diximus enim articulo tertio, ſanguinem è brachio, vel è pede, ante eruptionem eſſe mittendum; ſubjunximus autem, *quantum fieri poteſt*, ne, morbi quovis tempore, venæ ſectionem omittendam eſſe Lector autumaret.



SECTIO XV.

DE NEPHITRIDE.

OBSERVATIO I.

DIE 12. Julii 1726. curavi uxorem Carbonarii cujuſdam, annos natam 38. Temperamento erat bilioſo-ſanguineo, corpore quadrato & perobæſo, fervidiſſimâ mente. Quarta dies hæc erat, quâ Nephitricis doloribus cruciabatur immaniter, unumque Medentem habebat Barbi-tonſorem, qui, ſectâ bis in brachio venâ (ſapienter quidem) inconcinnas autem purgationes ipſe paraverat & exhibuerat; quibus ad extremum morbi gra-

dum, ægrotantem perduxerat. Æſtu febrique jactabatur, nauſeabundis conatibus laceſſebatur, delirio per intervalla vexabatur; urina difficilis & pauca fluebat, frequentes ructus erumpebant; abdomen tumebat, erat alvus adſtricta. Statim ergo ſaphena ſecta eſt, miſſuſque ſanguis ad ℔. unam: pro potu parata eſt ptiſana ex decocto radic. Gramin. fructuum Alkekengi N°. xij. hord. mund. ℥. j. in aq. ℔. vj. in decocto fervente f. infuſ. radicis Althææ.

Die 13. levamen aliquod ægra percepit, ſomnoque recreata eſt. Potionem ſequentem in duas doſes diſtributam ſumpſit:

℞. Ol. amygd. dulc. ℥. vj.
Syr. Limon ℥. ij. f. p.

Ubertim & facilè minxit; immiſſi ſunt manè & veſperè Clyſteres ex decocto fol. Malvæ, Althææ & Verbaſci, additis Mellis Nymphati ℥. ijj.

Die 14. dicti dolores increbruêre; vena me abſente ſecatur in brachio, infelici exitu; nam indè ſævit malum, quod ut ſedaretur, ſaphenam ſub veſperum denuò ſecandam judicavi: quo facto, ſequentem julepum præſcripſi:

℞. Aquar. Lactucæ & Nymph. ana ℥. ij.
Syr. Diacod. ʒ. vj. f. jul. pro doſi.

Somnus hor. circiter ſex fuit conciliatus.

Die 15. manè, jam nulla deprehendebatur febris, dolores erant levissimi: sequens illicò data est Cathartica potio:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in seri lactis ℔. j. ß. f. s. a. p. lax. ad tres doses, horis alternis exhib. jusculis intermed.

Juscula verò parata sunt ex vitulinâ carne, gallinaceo pullo, & semin. frigid.

Die 16. ad balnea domestica confugit: sed ea vix secundâ vice ingressa est ægrotans, & febre cum dolore jactata est: Quamobrem immissum est horis serotinis Enema:

℞. Radic. Althææ & Nymph. ana ℥. j.
Fol. Malvæ, M. j.
Semin. Lini ℥. ß. Bull. q. s. in aq. s. q.
In Colat. dilue Ol. nucum ℥. ij.
Therebinth. ovi vitulo solut. ʒ. iij. f. Enema.

Die 17. Urgebant ex intervallo nauseæ, aliquando cum bilis *porraceæ* & viscidæ excretione. Naturam itaque ducem secuturus, sequentem præscripsi potionem:

℞. Siliq. Ægypt. contus ℥. vj.
Bull. q. s. in aq. ℔ j.
F. Colat. in duas doses distrib.
In priore dissol. Sal. Stib. g̃. iij.
In alterâ solve Mannæ Calabrini ℥. ij. ß.

Et in eâ Colatâ dilue Syr. de Cichor. comp. ℥. j. horis tribus interjectis ſumantur, intermedio juſculo.

Copioſa fuit per os & alvum excretio, cum optato levamine. Proxima nox placidiſſima fuit. Ut autem obſtructis partibus conſuleretur, Paſſyacas veteres aquas præſcripſi; perfectamque ſanitatem adepta eſt dicta mulier. Verumtamen eam hortatus ſum, ut unoquoque menſe laudatas hauriret aquas diebus octo, tanquam *Prophylacticum* remedium, adversùs affectum quo pluries in anno tentari conſueverat. Stetit promiſſis, nec ampliùs in poſterum immanis ille rediit morbus.

OBSERVATIO II.

DIe ultimo Januarii 1727. citatim accivit me nobiliſſimus vir Dominus *** annos natus 34. multis jam ab annis, atrocibus & fermè continuis doloribus circà renes tentabatur; ſabulum in urinis emittebat, ardoriſque ſenſum quaſi *cinctorium* patiebatur. Temperamento erat ſanguineo-bilioſo, corpore obeſo & quadrato, mente hilari & fervidâ. Nulla eum, vel vini, vel ciborum immoderata tenebat cupido. Pulſum deprehendi turgidum, durum; facies purpureo rubore tumebat. Tunc aderant dolores in regione lumbo-

rum, ſiniſtrum præcipuè latus occupantes, cum anxiâ inquietudine & horridulâ vagâ percurſatione. Urina, noctu præſertim, craſſior & cum filamentis quaſi mucidis procedebat: hæc poſt ſui refrigerationem, cryſtallos pellucidas & rubicundas lateribus vitri affigebat. Miſſæ ſunt illicò ℥. ſanguinis xij. è brachio. Immiſſum eſt Enema ex aquâ & Nymphato Melle. Ptiſana parata ex radic. Gramin. Fragar. & ſemine Lini in infuſo.

Die primâ Februarii *inflammatoriam* ſanguinis qualitatem agnoſcens, ſimilem rursùm è brachio copiam eſſe mittendam judicavi, ordinariumque potum ex pulli gallinacei & ſemin. frigid. decocto parandum. Veſperè alvum ſubduxit Enema priori ſimillimum.

Die 4. ſequens fuit inſtituta purgatio:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aerei, ℥ ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. f. ſ. a. p. ad duas doſes.

Ubertim & ſine moleſtiâ ſoluta eſt alvus. Nil novi factum eſt ad diem uſquè ſeptimum, quo quidem ægrotantem 2°. purgavimus:

℞. Mellis aërei, ℥. j. ß.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Catharticum expectationi reſpondit. His igitur omnibus ritè adhibitis præparatio-

nibus; balneis, me monente, usus est æger, quotidiè scilicèt manè, duabus horis. Intereà sequentes Emulsiones assiduè sumpsit:

℞. Semin. iv. frigid. major. ʒ. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. viij.
Contund. &c. sensim affund. decocti ex hor. parati ℔. iij.
In Colat. dilue Syr. Nymph. ℥. j. f. Emulf. quotidiè repetenda donec prohibeatur.

Porrò à balneis & Emulsione abstinuit die 26. Februarii, postridieque sequens purgans exhausit:

℞. Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in s. q. aq. pro dosi.

Mitigata quidem symptomata videbantur; sed multa adhuc ad propositum finem obtinendum desiderabantur. Itaque Passyacis antiquis utendum aquis decrevi: quod monitum sine morâ secutus est clarissimus ægrotans. Has verò sumpsit ad finem usque proximi mensis, nonnullis purgationibus interpositis, vel ex aëreo Melle, in primo dictarum aquarum Cyatho, simpliciter soluto, vel ex quovis Sale Cathartico.

His demùm absolutis, instituta est purgatio:

℞. Follic. Senn. ℥. j.
Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv.
Mellis aerei, ℥. ij.
Syr. de Chicor. comp. ℥. j.
In aq. ſ. q. f. ſ. a. p. lax. uno hauſtu ſumenda.

Ineunte Aprili, cùm inſigniter remiſſa perciperemus ſymptomata; pro familiari potu parata eſt ptiſana ex radic. Gramin. fructuum Alkekengi & Seminis Lini decocto. Medio autem menſe, ad uſum lactis aſinini confugit, donec opportunum tempus advenerit, quo minerales aquas (*de Forges* gallicè dictas) ſumere potuerit efficaciter. Deſinente igitur Junio, dictis uſus eſt aquis, exitu fauſtiſſimo.

OBSERVATIO III.

DIe 4. Aprilis 1727. accerſivit me Dominus *** annos natus 76. Nephriticis doloribus tentatus; pauca & difficilis urina ſtillabat, aderat febris continua, capitis & renum ſtipata doloribus. Temperamentum autem erat melancholico-ſanguineum, moroſa mens, gracile corpus. Statim ſecta eſt vena in brachio ad detracti ſanguinis ℥. xij. Ptiſana parata ex radice Althææ & ſemine Lini in infuſo. Veſperaſcente die Clyſter immiſſus eſt ex emolliente decocto & Mellis Nymph. ℥. iv.

Die 5. Tantillùm remiserant symptomata. Denuò simili quantitate ductus est sanguis. In ptisanæ ℔. iv. soluta est Sal. Nit. ʒ. j. juscula parata sunt ex carnis vitulinæ ℔. ij. unâ bubulæ & gallinaceo pullo, cum Orizæ ℥. iij. Enema priori simillimum fuit immissum. Sanguinis verò detracti color *inflammatorius* deprehensus est.

Die 6. manè, paratum est Enema ex Siliq. Ægypt. contus. iv. in lactis sero decoctis; quo quidem alvus laudabiliter soluta est.

Die 7. mitigata quidem erant symptomata, quæ tamen fovebat vigilia perennis. Itaque horâ decimâ serotinâ, julepum sepum sequentem sumpsit æger:

℞. Aq. Lactucæ, ℥. iij.
Syr. Diacod. ℥. j. f. jul.

Somno legitimè recreatus est: febris intermisit.

Die 8. misturam sequentem proximo die sumpsit æger:

℞. Aq. Parietar. ℥ vj.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. f. p. uno haustu sumenda.

Sub vesperum, Clyster infusus est ex fol. Verbasci & semin. Lini, cum Mellis de Nymph. ℥. iij. dolores sedati sunt: julepus priori similis eâdem horâ adhibitus est.

Die 9. loco ptisanæ, Emulsiones sic institutæ fuerunt:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. vj. contund. &c.
Sensim affund. decocti ex Pariet. fol. parati ℔. iij.
In Colat. dilue Syr. de v. Radic. ℥. j. ß. f. Em.

Nil novi factum est ad diem usque 13. liberam alvum tenuerunt Enemata emollientia.

Die 13. Catharticum sequens Cyathim hausit æger;

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℔. ß.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
Adde Mellis aerei, ℥. ij.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. f. p. lax. in tres doses distrib.

Alvus pro votis subducta est. Verùm ut residua renum illuvies attenuaretur & educeretur, pro familiari potu sumpsit æger infusum ex Enulæ-campanæ radice.

Die 16. Catharticum sequens exhibuimus:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. Parietar. ℥. vj. f. haustus.

Firmam sanitatem recuperavit, recidivamque fugavit continuus Enulæ-campanæ usus.





SECTIO XVI.

DE PARALISI.

OBSERVATIO I.

DIe 18. Septembris 1722. invisi Dominam *** Flabellorum Opificem, annos natam 22. Hemiplexiâ in sinistro corporis latere correptam. Menstrua laboriosè, minori quantitate & inordinatè jam à longo tempore fluebant. Secta primò fuit vena in cubito, ad detracti sanguinis ℥. xij. Vesperè autem eductus est è saphenâ ad ℔. j. Illicò parata est potio diaphoretica ad duas doses, horis duabus interjectis exhib. jusculo intermedio.

Die 19. manè, soluta sunt Tart. Stib. gr. iij. in aq. ℥. iv. horisque tribus elapsis, uno haustu laxantem potionem sumpsit ægra:

℞. Folior. Oriental. ʒ. ij.
 Tamarind. ℥. ß.
 Manna. ℥. ij.
 Sal. Veget. ʒ. j. in s. q. aq. f. s. a. haustus.

Die 20. positum est in lecto ignitabulum ardens, baccis Juniperi contusis intersatis; illudque tamdiù repetitum, donec sudor largus defluxerit. Res factæ sunt meliores.

Die 21. Celebratæ sunt frictiones cum

panno aspero & calente; deindè verò jussi ut una ex adstantibus mulieribus affectas partes foveret urinâ calente, in quâ butyrum recens fuisset anteà jactatum; illitis primò partibus butyro illo urinâ abluto; dein linteis ipsâmet urinâ mixtâ imbutis, tandem admotis. Sic simpliciter actum est; res enim erat angusta domi. Attamen Diaphoreticam potionem sumpsit ægra sicuti die 18. quæ quidem hæc erat:

℞. Aquar. Scabios. Card. bened. & Meliss. ana ℥. j.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Aq. Theriacal. ʒ. j.
Syr. de Tunicâ, ℥ j. f. p.

Die 22. optimo res erant in cursu; manus & pedes facilè pariter movebantur. Nil novi actum est

Die 23. fuit instituta purgatio:

℞. Jalap. & Mechoacann. ana. ʒ. ß.
Diacryd. g̃. vj.
Cremor. Tart. ʒ. j. cum s. q. Syr. de Rhamno. f. bol.

Alvus ubertim subducta est. Diebus 24. & 25. eadem gessimus quæ diebus 21. & 22. non omnissis Clysteribus laxantibus, neglectâ verò Diaphoreticâ potione:

Die 17 Catharticum exhibuimus:

℞. Fol. Oriental. ʒ. j. ß.
Rhei, ʒ. j.
Tamarind. ℥. ß.
Sal. Glauber. ʒ. j. f. s. a. una dosis.

Diebus 28. & 29. immiſſi ſunt Clyſteres ex furfuris decocto & Mellis violati, ℥. iij.

Die 5. Octobris, ultimam purgationem dedimus:

℞. Tabellar. Diacarthami, ℥. ß. in aq. ℔. ß. f. una doſis.

Optimâ jam erat valetudine; cùm tamen reſidua eſſet artuum infirmitas, eam vinaceis uti juſſi diebus 15. (gallicè *prendre le mâre des raiſins après les vendanges.*) Paruit præſcriptis, præteritique morbi ſenſu nullo tentata eſt.

OBSERVATIO II.

Die 14. Februarii 1726. nobiliſſimæ Marchioniſſa *** citatim advocavit me, ut quâ tentabatur Paralyſi, illi mederer. Ore contorto balbutiebat, oculuſque dexter difficilè à palpebris velabatur: medium autem, præterita inter & futura catamenia, tempus erat. Corpus gerebat obeſum, feſtivam fervidamque mentem. Ipſa verò erat edaciſſima, annos nata circiter 38. Jam ſemel ſecta fuerat in brachio vena: tertiaque hæc erat ſeptem abhinc menſibus paralytica tentatio. Miſſus eſt illicò ſanguis è ſaphenâ ad pondus ℔ j. dein immiſſus eſt Clyſter:

℞. Folior. Orient. ℥. ij.

Catholic. ſimpl. ℥. j.
Cryſtall. miner. ʒ. ij. in ſ. q. aq. f. Enema.

Nulla facta eſt mutatio. Sub veſperum, rursùs è pede ductus eſt ſanguis: dein paratum Emetico-Catharticum, Cyathim tertiâ quâque horâ propinandum:

℞. Fol. Oriental. ℥. iij.
Caſſ. cum fiſtulis, ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Stib. g̃. vj.
In aq. ℔. ij. f. ſ. a. p. in quatuor doſes diſtrib.

Abundè ſubducta eſt alvus, ſeſeque per vomitum ventriculus exoneravit.

Die 15. manè, caput erat gravatum, ſimiliterque ſæviebat Paralyſis. Secta eſt iterùm ſaphena, miſſuſque ſanguis ad ℔. j. ß. Poſteà verò, cùm Siliquam Ægyptiacam faſtidiret ægra, paratum eſt quod ſequitur Catharticum, Cyathim exhibendum:

℞. Mellis aërei, ℥. iij.
Sal. Epſomienſ ℥. j. in aq. ℔. ij.

Dejectiones fuerunt uberrimæ; ſalvæ vires remansêre, eodem remanente periculo.

Die 16. manè, ne à parentibus vel amicis opprobrium quodlibet in me traherem alicujus Collegæ conſiliis me juvandum eſſe cenſui. Unum ſelegerunt, cui morbi originem, adminiſtrata remedia & admi-

niſtranda breviter expoſui, omnibuſque tentandis mediis in deliberationem miſſis, venam adhuc in pede ſecandam conjudicavimus. Ducta eſt ℔. ſanguinis j. ſalvis ægræ viribus. Sequentem poſteà Cephalico-hyſtericam potionem præſcripſimus:

℞. Aq. Tilliæ. ℥. vj.
Confect. Alkerm. ʒ. j.
Caſtor. g. x.
Syr. de Abſynth. ℥. j. f. p. Cochleatim alternis horis exhib.

Veſperè Clyſter immiſſus eſt ex decocto Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. res in eodem ſtatu perſeverarunt.

Die 17. manè convenimus, pulſum validiùs ferientem tetigimus, floridam ſimiliterque roſaceam faciem aſpeximus, ſufficientique factâ per ſaphenam evacuatione, ſanguinem è brachio mitti juſſimus ad ℥. xij. Declinante in veſperum die, Clyſter immiſſus eſt ex aq. cum Elect. Lenit. ℥. j. repetita eſt ſuprà deſcripta potio.

Die 18. datum eſt ſequens Catharticum:

℞. Rhei Elect. ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Veget ʒ. j. in aq. ℥. vj. f. ſ. a. hauſtus.

Hâcce die loquela liberior facta eſt; ore tamen contorto. intercurrentibuſque per intervalla motibus labiorum convulſivis.

Die 19. ad Balarucenſes aquas confu-

giendum esse decrevimus: has bibit ægra die proximo ad ℔. iv. (gallicè *deux pintes.*) Die autem 21. ℔. vj. similiterque die 22. insigne levamen attulerunt, statimque ad statum fermè naturalem accesserunt labia. Priusquam autem sumpsisset aquas, honorificè & munificè Collegam dimisit ægrotans.

Die 24. laxans sequens institutum est:
℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Tamarind. ℥. j.
Mellis äerei, ℥. ij.
Sal. Epsomiens. ʒ. iij.
Cum aq. Naphæ s.q. ad gratum odorem f. s. a. haustus.

Egregie soluta est alvus, insigniterque allevata est ægra; remanente tamen visibili quodam morbi residuo. Nil novi peractum est ad diem usque mensis ejusdem 27. præter Enemata manè & vesperè.

Die 28 sine labore floruit uterus: solitâque quantitate ad diem usque Martii quartam.

Die Martii 5. gravatum caput corpusque universum proprio pondere velut obrutum percipere se conquesta est ægra. Immissum est Enema ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis ℥. iv. Vesperè autem alterum, ex aq. solâ.

Die 6. gravitate, lassitudinibusque perseverantibus, sanguinem è saphenâ mitti curavi ad ℥. xij. Vesparascente die, Ene-

ma blandè laxans ut ſuprà fuit injectum. Noviſſima fugata ſunt ſymptomata, & (quod vix credibile eſt) vires vegetæ ſteterunt, ita ut pleno gradu totâ die proximâ per cubiculum inceſſerit ægra.

Die 9. ſequente Cathartico laxata eſt:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Rhei, ʒ. j.
Manna, ℥. ij. ß.
Sal. Veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. doſis lax.

Simile laxans uſurpatum fuit bis unoquoque menſe. Laudatam tamen ægrotantem plurìes rogaveram, ut bolum ſequentem aſſiduò voraret; quo quidem fluida moles attenuaretur: ſolida firmaretur, alvuſque liquida pro votis ſervaretur:

℞. Limat Chalyb. ppt. g̃ xx.
Cum ſ. q. Medull. Caſſ. mund. f. bol.

Sed quidquid dixerim, præfractè rejecit; imò & conſilio nullo, intemperatèque vivere maluit, quam legitimâ ſanari diætâ. Sic etenim me multoties eſt allocuta. Remanente ergò ſemper aliquali morbi tentatione, ipſi auctor fui, ut, quàm citò fieri poſſet Borbonium Archambaldi proficiſceretur. Hoc itaque fecit iter die 12. Maii. Aquas 10. Vichiacas ſolas hauſit à die menſis ejuſdem 16. ad diem uſque 26. exitu proſpero; indèque alvus ritè ſoluta eſt. Purgatio quoque inſtituta die 27. Die autem 28. & per Hebdomadæ

ſpatium, ſex vel ſeptem Vichiacarum aquarum Cyathos hauſit, ſuperbibendo Borbonias. Altero quoque die paſſa eſt quod gallicè dicitur *La Douche*. Porrò cùm inflammationem concipere ſanguis videretur, aquæ Borboniæ temperatæ ſunt aquis è fonte *Jonas* dicto eductis. Hæc etenim ſingula mihi per litteras, tùm ab ægrotante, tùm à clariſſimo & doctiſſimo viro D. *Preureault* Medico ſcriptas, narrata ſunt.

Lutetiam rediit laudata Marchioniſſa die Julii 5. ſequente verò Catharticâ potione purgata eſt die undecimo:

℞. Follic Senn. Rhei & Agar. ana ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥ ij. ß.
Sal. Glauber. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. una doſis.

Die autem 19. ſequens inſtituimus Catharticum:

℞. Rhei ʒ. j.
Manna Calabrini, ℥. ij. ß.
Tabellar. Diacarthami, ʒ. iij. in aq. ℔. ß. f. &c.


Nil novi tentatum eſt ad menſem uſque proximum. Quo quidem antiquas Paſſyacas ſumpſit aquas: 10. ſcilicèt ad ℔.iij. doſim quotidiè adaugendo, donec perveniſſet ad ℔. viij. His itaque per dies quindecim factis, rursùm purgata eſt.

Meliùs in dies rebus ſe habentibus, uno

quoque menſe purgatio fuit abhibita; abſoluto ſcilicèt unoquoque periodico fluxu.

Hoc notandum venit, quòd à Borboniis aquis omnimodè ſumptis parvum levamen perceperit ægra; majus autem à Paſſyacis antiquis, maximum denique à Catharticis accuratè adminiſtratis.

Fatendum hoc tamen, quòd laudata Domina citò, tutò & jucundè fuiſſet ſanata; ſi præſcriptam ſibi à Medicis ſervaſſet diætam. Verùm quàm grave ſit onus, mulierem, nobilem præſertim, præjudicatis opinionibus adhærentem, ad verum perducere, ſolus ipſe noſcit Medicus.



SECTIO XVII.

DE PERIPNEUMONIA.

OBSERVATIO I.

Die 12. Martii 1624. curavi conjugem cujuſdam aulæorum Mercatoris, annos natam 46. Peripneumoniâ cruento ſputo ſtipatâ laborantem. Proximè ventura deſiderabantur catamenia; alvus erat peradſtricta. Parata eſt pro potu ordinario ptiſana ex fol. Capillor vener. florib. Papaveris errat. & Jujubis In Colat. ℔. iv. decoque Mellis Narbon. ℥. ij. parata eſt potio ſequens Cochleatim exhib.

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j.
Diſſol. in Ol. Amygd. dulc. ʒ. iij.
f. potio.

Sub veſperum, immiſſus eſt Clyſter ex decocto fol. Artemiſ. & Mercurialis: in Colat. dilutæ ſunt Mellis de Mercuriali ℥. iij. Similiter actum eſt die 13.

Die 14. facilis facta eſt *Expectoratio*, liberiorque reſpiratio; naturâ verò ſudorem tentante, parata eſt miſtura ſequens:

℞. Aq. Card. bened. ℥. iij.
Sang. Ibicini, ʒ. ß. miſce.

Copioſum ſudorem emiſit ægra, tantumque levamen indè accepit, ut ne de minimâ quidem ſpirandi difficultate fuerit conqueſta. Serò immiſſum eſt Enema ex fol. Verbaſci & furfuris decocto; in Colat. dilutæ ſunt Mellis Nymphati ℥. iv.

Die 15. cùm ægram dolores, à flatibus premerent, immiſſum eſt Enema ex ſemine Fœnic. decocto, manè ſcilicet ac veſperè, proſpero ſemper exitu; eamque ſomnus noctu recreavit hor. circiter quatuor.

Die 16. repetita eſt Diaphoretica potio, ſimiliſque Clyſter infuſus.

Die 17. purgatio fuit inſtituta:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Diſſol. in aq. ℔. ß.
In colat. dilue Ol. amygd. dulc. ℥. j.
f. hauſtus.

Die 18. ſilebat uterus, licèt doloribus circà renes vagis, pro more tentaretur ægra, tempore ſcilicèt menſtruorum imminentium. Immiſſus eſt Clyſter, ſicuti die 12.

Die 19. paratum eſt Catharticum, cujus hæc formula:

℞. Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei ℥. ij.
Cryſt. miner. ʒ. j.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j. in aq. ℔. ß. f. &c.

Copioſam & flavam illuviem dejecit ægra, vireſque recipere ſe prædicavit. Immiſſa ſunt Clyſmata die 21.

Die 22. votis natura noſtris annuit, liberoque curſu fluere cœperunt menſtrua. Itaque cum medicamentis inducias fecimus, uſque ad diem Aprilis ſecundam, quâ ſcilicèt die ultimo purgata eſt mulier convaleſcens:

℞. Rhei, Agrici, ʒ. j.
Manna, ℥. j. ß.
Medull. Caſſ. mund. ℥. ß.
Sal. Veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. &c.



OBSERVATIO II.

DIe 26. Februarii 1725. vidi Dominam *** annos natam 32. peripneumonicam premebant eam ſpiritûs anguſtiæ; ſputum identidem cruentatum parùm & difficilè emittebatur; pulſus erat frequens, exiliſſimus; vires proſtratæ; alvus adſtricta. Morbi dies hic erat quartus. Imminebant menſtrua; nulla verò ad hunc diem fuerant adminiſtrata remedia. Ad venæ ſectionem illicò confugiſſem, nî me ab eâ debilitas ægrotantis avocaſſet Enema infundendum judicavi ex emolliente decocto & mellis de mercur. ℥. iij. ſequentem præſcripſi potionem:

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Adde Syr. de Althæâ, ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Die 27. ut major preſſio ab infarctis & turgidis inferioribus partibus naſcens, ſuperioreſque crucians depelleretur; potionem laxantem præſcripſi:

℞. Mellis acrei, ℥. ij. ß.
Ol. amygq. dulc. ℥. ij. in aq. ℔. ß. f. &c.

Mediocre levamen acceſſit. Parata ſunt apozemata ſequentia:

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.

Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. ß. f.
Apoz. in tres doses distrib.

Interim injecta sunt Enemata ex emolliente decocto parata, in quibus altero quoque die dilutæ sunt mellis mercurial. ℥. ij.

Die Martii 5. floruit uterus; omnia sedata sunt symptomata.

Die 10. silente utero, Catharticum sequens institutum est:

♃. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. veget. ʒ. j.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. haustus.

OBSERVATIO III.

DIe 26. Aprilis 1725. vocatus sum auxilio cujusdam aurificis, annos nati 36. septimum ab inchoato morbo diem agentis. Cujus quidem morbi curam susceperat vir quidam clarissimus, qui ægrotum habens ducensque desperatum, recesserat; solique naturæ eventum esse committendum pronuntiaverat. Lugent itaque conjux, mœstique parentes ad me properant; de collegâ silent. Legitimâ quantitate sanguis è brachio & pede missus fuerat; potiones apozematosæ simplices & Catharticæ fuerant sapienter administratæ.

Sic tamen ſe res ægrorantis habebant. Vix ac vix quidem ſpiritum trahebat; proflatus è pectore letalis urgebat; algebant extrema; nares patebant; abdomen in molem immenſam attolebatur; pulſus vel nullus, vel convulſivus: uno dicam verbo, Sacerdos juxta cereum benedictum, preces pro animam ſingultante fundebat Vix domum ingredior, & egredi volo; me detinent adſtantes. Coactus tandem moribundum mente & oculis attentis conſpicio; ſpemque ſuperſtitem in vomitu & ſeceſſu reponendam judico; quibus ſcilic t univerſalis infarctus tolleretur quamobrem ſequentem præſcribo potionem:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Sal. Stib. g̃. iv. in aq. ℥. vj. pro doſi.

Hoc factum eſt horâ matutinâ 7. verùm horâ decimâ dictum aurificem inviſi; nihil operata fuerat Emetico-laxans potio, nulla vel in melius vel in pe us erat mutatio. Faciliùs tamen po um ſorbebat. Statim igitur parata eſt miſtura ſequens;

℞ Caſſ. cum Nucleis, ℥. iv.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Stib. g̃. iij. in aq. ℥. xij. f. ſ. a. p. ad duas doſes.

Horâ poſt meridiem quartâ ægrotantem inveni ſedentem in lecto, & ore renidente cum adſtantibus feſtivum facientem colloquium: pauca & viſcida vomitu, ſed uberrima ſeceſſu reddiderat. Facillimè deſpue-

bat; detumuerat abdomen; pulſus erat frequens, elatus, ſed ordinatus. Omnium itaque ſtupore & admiratione, ſalutis ſolida ſpes affulſit. Pro potu parata eſt ptiſana ex florib. tuſſilag. radice althææ à meditullio expurgatâ, radicib. graminis & jujubis. Interim cochleatim ſumpſit potionem ſequentem.

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Adde Syr. Papaver. errat. ℥. j. ß. f. p.

Die 22. optimis ægri rebus factis immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto, & mellis nymphati ℥. iij. alterum declinante die ex ſolo decocto.

Die 23. ſequentia exhibuimus apozemata.

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. anna M. j.
Syr. viol. ℥. j. ß. in ſ. q. a. ad iij. doſes.
Enemata ut ſuprà.

Die 24. in primâ Apozematum doſi, ſolutæ ſunt Manna ℥. ij. ß. Legitimâ quantitate laxata eſt alvus. Diebus ſequentibus Apozemata ſimpliciter.

Die 28. purgationem ultimam hauſit convaleſcens:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Medull. Caſſ. mund. ℨ. vj.
Sal. Veget. ℨ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

OBSERVATIO IV.

DIe 9. Junii 1725. meum iuclamavit auxilium Educatrix nobilis cujusdam pueri, annos nata 38. Plevritide nothâ primùm fuerat correpta declinante Maio, quæ perversâ medendi methodo à Circulatore quodam adhibitâ, sensim in Peripneumoniam abierat. Difficillimus premebat anhelitus, dolorificum tumebat abdomen, ardebat febris, caput ingravescebat, solitum imminebat periodici tempus effluvii. Porrò urgentia symptomata proximum minabantur exitium. Illicò missus est è pede sanguis ad ℥. xij. dein paratæ sunt quæ sequuntur potiones:

℞. Aquar. Bugloss. Borrag. & Meliss. ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j.
Sang. Ibicini. ʒ. ß.
Syr. de Artemis. & Tussilag. ana ℥. ß.
F. p. ad duas doses, tribus horis interjectis exhib. jusculo intermed.

Dein potionem sequentem Cochleatim singulis horis potitavit:

℞. Spermat. Ceti. ʒ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v. f. p.

Largus noctù prorupit sudor, tussisque sicca quæ nihil priùs emoliebatur, sputa

tandem tùm quantitate, tùm qualitate laudabilia ſuppeditavit.

Die 10. cùm nulla per alvum excernerentur excrementa; illicò paratum eſt lene laxans:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. Cyatho f. hauſtus.

Sufficienti copiâ alvus ſeſe exoneravit. Interim dolenti adhuc & tumido abdomini admotæ ſunt herbæ emollientes in aquâ coctæ, dein calente lacte imbutæ. Nox tranquillior viſa eſt.

Die 11. manè, immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto & Mellis Mercurial. ℥. iij. Poſteà Cochleatim potitata eſt ſequens potio:

℞. Ol. amygd. dulc. ℥. iij.
Syr. de Althæâ, ℥. j. f. p.

Declinante ſole, proruperunt uterini flores, cum non mediocri ægrotantis levamine. Spectator fui, non actor; uſque ad diem 14. quo quidem die deſideratum ſomnum revocavit julepus:

℞. Aq. Lactucæ & Papaver. errat. ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥ j. f. jul. ad duas doſes.

Adimpleta ſunt indè vota, vixque febrilem deprehendi pulſum die proximè ſecuto. Immiſſum eſt Enema ſimplex ex aquâ & Melle violato. Legitimâ ac ſolitâ quantitate floruerat uterus, fluxuque deſtiterat.

Die 17. Catharticum exhibuimus :
℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Medull. Caſſ. mund. ℥. j.
Syr. de Cichor. comp. ℥. ß.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Ultimò tandem purgata eſt mulier convaleſcens die 20.

℞. Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Tamarind. ʒ. vj.
Manna, ℥. ij.
Sal. Veget. ʒ. j. f. p. purg. pro doſi.

Sic ab acuto morbo, intrà paucos dies, recreata eſt mulier, quæ ſe per menſtruum fermè ſpatium, Operario cuidam ſibi præfidenti, victimam præbuerat.

OBSERVATIO V.

DIe 19. Octobris 1725. Rhedarius D. Marchioniſſæ *** annos natus circiter 51. advocavit me. Dies hæc erat morbi octava. Peripneumoniâ perversè curatâ erat exhauſtus ; venæ ſectionibus tàm in brachio quàm in pede celebratis exinanitus ; Emeticis temerè adhibitis laceſſitus, exindèque triduo vomitu cruento fractus, cum morte ultimùm luctari credebatur. Curantem ſolum habuerat ignarum quemdam Circulatorem (Circulatorem ſemper intellige, qui tentat quod ſuæ artis non eſt :) hujus tamen viri pietate,

Sacramentis munitus fuerat æger animam cum delirio ſingultans. Illicò parata eſt potio ſequens :

℞. Aquar. Papaver. errat. & Plantag. ana ℥. ij.
Syr. Diacod. ℥. j. f. jul. ad duas doſes horis tribus interpoſitis exhib.

Nox placida ſucceſſit, cruentumque vomitum ſtitit mixtura.

Die 11. manè, immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto & Mellis viol. ℥. iv. Legitimâ quantitate ſubducta eſt alvus : totâ autem die, ſequentem potionem hauſit æger :

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Adde. Syr. de Althæâ, ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Sub veſperum immiſſus eſt Clyſter ex aquâ ſolâ.

Die 12. paratum eſt Catharticum

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Bull. leviter in ſeri lactis ℔. j.
Adde Mellis acrei, ℥. ij. ß.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. f. p. lax. ad duas doſes.

Ubertim æger dejecit, febriſque inſigniter remiſit. Horâ decimâ ſerotinâ ſumpſit julep. ſequent.

℞. Aq. Nymph. ℥. ij.
Syr, Diacod. ʒ. vj. f. jul.

Die 13. immiſſa ſunt Enemata. Die ve-

rò 14. jam fermè nulla febris deprehendebatur, ægrumque cibi cupido tenebat. Itaque per intervalla, unum & alterum juris è carnibus elixis gelati Cochlear concessum est.

Die 15. exhibita est lax. pot.

℞. Cass. cum Nucleis, ℥. iv.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j. f. s a. p. ad duas doses.

Meliora in dies omnia facta sunt. Verumtamen, ut fluida moles defecaretur, per triduum data sunt Apozemata sequentia:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. Ceræfol. & Nasturt. aquat. ana M. ß.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
In Colat. dilue Syr. de v. Radicib. ℥. j. ß f. Apoz. in iij. doses distrib.

Interim manè & vesperè jurulentus panis magnâ juris quantitate innatans admittatur, quotidiè Clyster immittatur.

Die 20. ultimum purgans institutum est:

℞. Manna, ℥. ij. ß.
Elect. Lenit. ℥. j.
Sal. Veget. ʒ. j. f. p. s. a. pro dosi.

Hâcce simplicissimâ methodo, virum in perditis ac desperatis habitum, eis paucos dies, ad salutem revocavimus.

OBSERVATIO VI.

Die 18. Decembris 1725. accivit me Domina *** annos nata 67. Peripneumoniâ crudelissimis stipatâ symptomatis, quatuor abhinc diebus correpta. Temperamento erat sanguineo-bilioso, corpore quadrato & athletico, animo furente. Jam ab annis duodecim in variis corporis partibus osseis nodos insignes, & in sinistro crure ulcera quinque furebat: hæc autem nuper coaluerant. Sanguinis ℥. xij. è brachio ductæ sunt manè, similiterque vesperè. Prisana parata est ex decocto radic. Gramin. & Chinææ; addendo sub decoctionis finem, Althææ radicem. Clyster injectus est ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij.

Die 19. perseverante respirandi difficultate, educta est è brachio ℔. sang. j. Ut autem liberius & uberius sputum ederetur, parata est sequens potio:

♃. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Adde Syr. de Althæâ ℥. j. f. p. Cochleatim potitanda.

Interim, ad subducendam alvum adstrictam, immissum est Enema ex emolliente decocto, Catholic. simpl. ℥. j. & Mellis Mercurialis ℥. iij. Screatus facilior,

fluxus alvi legitimus secuti sunt. Verùmtamen, præcipitante in occasum sole, cùm non mediocres adessent spiritûs angustiæ, denuò ductæ sunt è brachio ℥. sang. xij.

Die 20. durum tumebat abdomen; sputa educebantur cruenta, errantes erant oculi, tandemque laborans anhelo, in extremo spiritu videbatur. Cognoscens autem ego, quòd ulcerosus ille humor in nobilissimas partes refluxus, in hoc casu solus esset tragœdus, aliundèque ductâ sanguinis è superioribus copiâ sufficienti: ut laboriosæ respirationi succurreretur, aperiendam esse saphenam judicavi, ut ad ulceratam partem materies revocaretur, atque à superioribus diverteretur; (facta enim Metastasis urgebat, subitumque requirebat auxilium.) Consilium rejecerunt adstantes & ægra, quæ letum saphenæ sectioni se prælaturam fragili voce pronuntiavit. Talia ubi odio, nemineque precibus vel minis cedente, phlebotomiam in brachio saphenæ sectioni subrogandam censui. Missus est sanguis ad ℥. xiij. nec indè meliora facta sunt omnia. Quamobrem vesperè, unguentum *suppuratorium* (gallicè *suppuratif*) in exsiccata ulcerum foraminula immittendum, superaddito Emplastro, judicavi. Clyster injectus est ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. decocto. Hunc non paucæ dejectiones secutæ sunt, venterque sub vesperum parumper detu-

muit. Ne uno quidem momento noctu requievit ægra, imò & multis jactata est angoribus.

Die 21. ut fluidorum vitium corrigeretur, vitiatorumque perennis protrusio servaretur; sequentia parata sunt Apozemata:

℞. Folior. Bugloss. Borrag. Cichor. Nasturt. aquat. & Cochlear. ana. M. j. ß.
Bull. q. s. in aq ℔. ij.
Adde Manna ℥. ij. ß.
Et Sal. Veget. ʒ. ij. f. Apoz. lax. in iv. doses distrib.

Attamen, ut me, extrà omnem culpam vel ignominiam ponerem, parantes rogavi, ut Collegarum quorumdam consilium cogeretur, quo faciliùs & tutiùs ad feliciora & convenientiora confugeremus. Ne verò suspectam advocandorum nominationem haberent, datam mihi pluries optionem rejeci. Selecti sunt Doctores duo celeberrimi, qui meam de saphenæ sectione propositâ sententiam amplexi sunt; cui si ægrotans præfractè obsisteret, Apozematum usus prorogaretur. Indicta est ad conveniendum horâ diei sequentis undecimâ matutinâ. Quidquid ægrotanti de secandâ in pede venâ dixerimus; nihil promovimus. Adhibita sunt Apozemata.

Die 22. manè, horâ dictâ convenimus: mors imminebat, ægrotantemque despe-

ratam habentes laudati Collegæ, supradictis Apozematis inhærendum censuerunt, donec alia adhibere remedia sinerent res vix sperandæ meliores, vel saphenæ sectionem, unam post naufragium tabulam, ægrotans admitteret, datum est debitum eis honorarium, nec deinceps ad inobsequentem ægram accedere voluerunt. Data sunt Apozemata. Vesperè præscripsi potionem sicuti die 19. Sedulò autem quotidiè suppuratorium vulneribus admotum est. Nox pessima secuta est, licet facilior uberiorque screatus erupisset.

Die 23. sequens instituta est purgatio:

♃. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥.j. in s. q. aq. f. haustus.

Laudabili copiâ dejecit ægra, nec indè major spes affulsit. Quapropter,

Die 24. ut ventriculi concussus excitarentur, solidis elater restitueretur, fluidorum motus revocaretur legitimus, dicam? ut anceps tamen, unicumque licitum tentaretur in extremis remedium, præscripsi quod sequitur:

♃. Cass. cum Siliq. contus. ℥. vj.
Bull. leviter in aq. ℔. j. ß.
F. Colat. in tres doses distrib.
In priore dissol. Tart. Stib. g̃. iv.
In secundâ, Manna Calabrini, ℥. ij. ß.
In tertiâ dilue Syr. viol. ℥. vj.

Singula dosis, tertiâ quâque horâ exhibeatur.

Uberrima materiæ colluvies supernè & infernè fuit protrusa, cum insigni laborantis levamine. Sub vesperum autem, ut fessis partibus desiderata quies concederetur; paratus est julepus sequens:

℞. Aq. Bugloss. & Papaver. erat. ana ℥. j. ß.

Syr. Diacod. ℥. j. f. jul. ad duas doses horis duabus interpositis exhib.

Die 25. melioribus ægræ rebus factis, nil novi, præter Enemata, decrevimus. Parata sunt autem ex emolliente decocto, in quo manè Mellis Mercurial. vesperè autem Mellis Nymphati ℥. iij. fuerunt dilutæ.

Die 26. maduerunt ulcera, imò & vesperè liquorem sanioso-purulentum fudêre, respiratio facilior accessit. Clyster, uti priores, immissi sunt: similiter die proximâ.

Die 28. perterrefactos manè vidimus adstantes, quòd ægra magnam fœtidissimi sanguinis copiam cum alvinis fecibus dejecisset. Iter tam salutiferum naturam tentantem sum demiratus, prudentemque spectatorem agere malui, quàm actorem nimis officiosum. Injecta sunt tantummodò Enemata ex fol. Verbasci decocto. In dies autem sedata sunt symptomata. Idem porrò criticus & moderatus perseveravit

fluxus ad diem usque Januarii tertium.

Die Januarii 4. optimâ spe nos complevit status ægrotantis; nulla febris superstes, dolor nullus, ulcera hiantia, ex quibus liquor laudabilis ferebatur. Præscripta est in diem 5. potio laxans:

℞. Mellis aerei, ℥. ij.
Medull. Cass. recens mund. ℥. j. Sal. Absynth. ʒ. j.
In aq. s. q. f. s. a. haustus.

Die tandem 8. ultimò purgata est convalescens:

℞. Rhei Electi & Agarici, ana ʒ. j.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal Veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. s. a. &c.

Diebus autem intrâ duas purgationes vacuis, exhibeantur seri lactis ℔. ij. Cyathim hauriendæ; in cujus unoquoque Cyatho diluatur Syr. viol. Cochlear.

His auxiliis sanata est mulier, diù in desperatis habita.

Verùm die 10. Februarii, duobus febris tentata est paroxysmis: coïerant ulcera. Secta est semel in brachio vena, ductusque sanguis ad ℥. xij. Dieque 13. simpliciter purgata est.

Hoc facto, Lapis causticus ulceratis partibus admotus est, postque dies septem, laudabilis fluxus erupit, & valetudo prospera radicitùs firmata est.

OBSERVATIO VII.

DIe decimo octavo Februarii 1726. vocatus sum auxilio Domini *** annos nati 34. Peripneumoniâ sævissimâ jacebat oppressus; pulsus erat validus, saliens, frequens, convulsivus; cutis sicca, scintillantes oculi, lingua nigricans, sputum rarum & cruentatum, tumidum abdomen & durum, tussis asperrima: uno verbo dicam, Peripneumonia cum febre malignâ. Morbi tunc dies quintus agebatur. Sibi porrò celeberrimum Medicum asciverat, qui negotiorum multitudine detentus, ægrum cæteroquin habens desperatum, ab eo recesserat. Corpore erat gracili, morosâ mente, temperamento bilioso-sanguineo; eique ter secta fuerat vena in brachio; nullis hactenùs aliis medicaminibus adhibitis. Missa est rursùm è brachio ℔. sanguinis j. parata est sequens potio:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iij.
Adde Syr. de Tussilag. ℥. j. f. p.
Cochleatim potitanda.

Sub vesperum, immissus est Clyster ex furfuris decocto & Mellis violat. ℥. iij. respiratio & exscreatio faciliores factæ sunt.

Die 19. manè, cutem tangens madidam, eliciendos esse sudores judicavi, ut, quò natura vergebat, eò duceretur: quamobrem sequens instituta est potio:

℞. Aq. Card. bened. ℥. iij.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j.
Sang Ibicini ℈. ij.
Syr. de Tussilag. ℥. j. f. p. ad duas doses.

Hanc potionem subsecutus est sudor multus, cum laborantis insigni levamine. Sub vesperum, Clyster est injectus ut suprà.

Die 20. eadem perseverabant symptomata, præter pulsum, qui ordinatus sed frequens visus est. Ad subducendam igitur alvum sine ullâ molestiâ, datæ sunt Mellis aërei, ℥. ij. ß. & Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. Cyatho; cumque meliùs indè se habere fateretur æger, cutisque probè maderet; potionem Diaphoreticam repetendam esse pronuntiavi. Factum est ita, tamque feliciter, ut ex narratis accidentibus fermè nullum remanserit, omniaque sudor uberrimus abstulerit. Vesperè immissum est Enema ex aquâ & Mellis Nymphati. ℥. iij. Notandum hoc autem venit, non datam fuisse potionem, nisi penitùs cessatâ Cathartici operatione, neque fuisse Clysterem injectum, nisi horâ elapsâ ab absoluto sudore.

Die 21. manè, sputum copiosiùs faci-

liúſque emittebat æger ; cruentatum tamen, quodque me minimè territabat. Iterata eſt oleoſa potio. Enemata fuerunt immiſſa, ex aq. ſcilicèt & violato Melle.

Die 22. ſedato cruentato ſputo, inſtitutum eſt Catharticum :

℞. Siliq Ægypt contuſ. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de violis, ℥. j.
In ſeri lactis ℔. j. ß. f. ſ. a. p. in tres doſes quartâ quâque horâ ſumendas diſtribuenda, juſculis intermediis.

Die 23. manè, placidiſſimo curſu ferebantur omnia, ita ut ab omni periculo tutus crederetur æger : nulla febris deprehendebatur ; reſpiratio facillima devenerat, alvus laudabiliter liquida, cutis probè humida, color naturali reſpondens. Enema fuit injectum.

Aſt præcipitante in occaſum ſole, furit æger ; febris incenditur, mors imminet. Monitus proſpero, ſanguinem è ſaphenâ mitti jubeo, hujus educuntur ℥. xij. ſedatur febris, ſedatur furor ; ſequens paratur julepus illicò ſumendus :

℞. Aq. Buglosſ. & Papaver. errat ana ℥. j. ß.
Syr. Diacod. ℥. vj. f. jul. pro doſi.

Nox ſequitur placida.

Die 24. febris aliquota percipitur, motibus variis æger jactatur, malignus per-

ſentitur pulſus. Eventum expecto; nil niſi ſimplicisſimum Clyſterem præſcribo. Horâ verò poſt meridiem quartâ vocatus ad ægrum feſtino; cutem corporis totius nothis variolis plenam intueor; unum & alterum tuberculum forficularum acumine ſeco; fluit ſubrufum ſerum, corrugatur pellicula. Ab omni medicamine abſtineo.

Die 25. Inflammatio dicta tubercula circumveſtiens erat diſcuſſa. Conceſſum eſt vinum cum dimidiâ parte ptiſanæ. Laxata eſt alvus Enemate ex aquâ cum Mellis Mercurialis ℥. iij. Nil mali accidit in poſterum, nulloque jam ſuperſtite morbi ſymptomate, ultimam purgationem adhibuimus.

OBSERVATIO VIII.

DIe 22. Decembris 1726. citatim evocatus ſum auxilio conjugis Domini *** Regis Conſiliarii, & in Caſtelleto Pariſienſi Tabellionis, annos natæ 55. Rheumate fuerat correpta, quod quidem neglectum in Peripneumoniam abierat. Febris ardebat, moleſta tuſſis & frequens pulmones laceſſebat, animæque premebat interclusio, ita ut in agone verſari crederetur ægra. Sub veſperum accitus Chirurgus peritiſſimus ſanguinis ℥. xij. miſerat è brachio. Verùm cum à tumido & dolo-

rifico ventre metuenda videretur hujus inflammatio ſpirandique difficultas ab obſtructis præſertim partibus inferioribus naſceretur, compreſſo ſcilicèt diaphragmate, ſaphenam eſſe ſecandam judicavi: poſtque tres horas immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto, & Mellis Nymphati ℥. iij. Ptiſana parata eſt ex decocto radic. Gramin. flor. Tuſſilag. & Papaver. errat. additâ radice Althææ in infuſo; potionem ſequentem præſcripſi:

℞. Spermat. Ceti, ℥. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Adde Syr. Capillor. Vener. ℥. j. ß. f. p. alterâ quâque horâ exhib.

De cætero notandum hoc venit, ægram ſcilicèt eſſe temperamento ſanguineo, fervidâ mente, moribus feſtivis, obeſo corpore. Facilior facta eſt reſpiratio, legitimè ſubducta eſt alvus.

Die 23. manè, ut inteſtinorum infarctui provideretur, immiſſum eſt Enema ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. at veſperè redeuntibus anguſtiis, præſentaneam medelam attulit ſecunda ſaphenæ ſectio.

Die 24. manè, Clyſter immiſſus eſt ex emolliente decocto & Mellis Mercurialis ℥. iij. ſub veſperum, alter ex aquâ ſolâ.

Die 25. celebrata eſt purgatio ſequens:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. ſ. q. f. ſ. a. hauſtus.

Alvum ubertim exoneravit ægra, periculum omne fugatum eſt. Interim per biduum ſequentia ſumpſit Apozemata:

℞. Folior. Bugloſſ. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. j.
Capillor. Vener. P. ij.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. viol. ℥. j. ß.
In ſ. q aq. ſ. a. Apoz. ad tres doſes tertiâ quâque horâ ſumendas, juſculis intermediis.

Tertio autem die, ſic purgata eſt:

℞. Caſſ. cum Siliq. contuſ. ℥. vj.
Bull. q. ſ. in ſeri lactis ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In Colaturâ dilue Syr. de Cichor. comp. ℥. j. & aq. Naphæ ſ. q. ad gratum odorem, f. duæ doſes, tribus horis interpoſitis exhib.

Expectationi reſpondit Catharticum, jamque laudata convaleſcebat mulier. Dicta nihilominùs Apozemata, omiſſo Manna, per triduum rursùs hauſit; dieque Januarii primo ultimam potionem laxantem priori ſimillimam ſumpſit.

OBSERVATIO IX.

Die 28. Januarii 1727. accerſivit me nobilis Domina *** annos nata 60. peripneumoniâ cruciabatur. Pulſus erat

profundus, ſerratilis, frequentiſſimus; caput gravatum; difficillima reſpiratio; vigilia perennis; alvus adſtricta. Temperamentum autem melancholico-ſanguineum; moroſa mens, at fervida; gracile corpus & molle. Morbi dies hic erat tertius. Semel ſecta fuerat vena in brachio, detractumque ſanguinem *inflammatorium*, & denſâ pelle obductum ſtatim vidi. Rarus & moleſtus erat ſereatus, iſque interdùm cruentatus. Denuò ducta eſt è brachio ℔. ſang. j. ſequens cochlea timpotitanda potio parata eſt.

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Ol. Amygd. dulc. ℥. vj.
Syr. de althæâ, ℥. j. ß. f. p.

Ptiſana parata eſt ex decocto radic. Gramin. & Orizæ, additâ radice althææ in infuſo. Juſcula verò ex ℔. ij. vitulinæ carnis, unâ bubulæ, addito gallinaceo pullo; in ſ. q. aquæ ut fiat Juſculorum ſ. q. quâ nutriatur ægra horis 24. veſpere Clyſter injectus eſt ex emolliente decocto & mellis mercurial. ℥. iij.

Die 29. manè, ſimiliter ardebat febris; ſæviebat tuſſis; magis cruentata erat exſcreatio; reſpiratio tamen minùs anguſta; tumebat abdomen. Rursùm è brachio miſſæ ſunt ℥. ſang. xij. ſub veſperum immiſſus eſt Clyſter ex emolliente decocto & mellis Nymphati ℥. iv. alvus adſtricta remanſit.

Die 30. nè à ſaphenæ ſectione viſceribus obſtructis majus imponeretur onus, ei proximè ſubſecuturæ tutam viam præparavit pectoralis pariter & laxans potio ex mellis aërei ℥. ij. ß. & Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. Cyatho. Declinante in veſperum die, injectum eſt Enema ex emolliente decocto. Pro votis alvus ſubducta eſt, detumuitque venter.

Die 1°. Februarii manè, motui ſanguinis ad ſuperiora ruentis conſuluimus, & ut allevaretur caput; rigidæ partium fibræ flecterentur; efferveſcentes & fermenteſcentes humores protruderentur; ducta fuit è pede ℔. ſang. j. ſtatimque parata ſunt hæc pozemata;

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Syr. viol. ℥. j. in ſ. q. aq. ad tres doſes.

Sub veſperum, immiſſus eſt Clyſter ex furfuris decocto & Mellis violati ℥. iij. tam proſperè geſta ſunt omnia, ut quædam ſalutis ſpes affulſerit; licèt ſequente nocte, æſtu febrique jactata fuerit ægrotans, nec ſomno potuerit indulgere.

Die 2. potionem oleoſam reſumpſit, & quartâ quâque horâ ſimilia prioribus apozemata, quibus additæ fuerunt Manna Calabrini ℥. iij. tamquè inſigne levamen ab hâc compoſitione perceptum eſt, ut ad diem uſquè Februarii ſextum fuerit repe-

tita. Quo tandem die, rebus ſcilicèt melioribus, imò & optimis factis, ab omni remedio abſtinui, ad diem uſquè menſis ejuſdem nonum.

Die ergò Februarii nono, ventris torminibus non parùm tentata eſt ægra; quæ quidem tormina, à commotâ, nec ſatis per alvum proturbatâ bile naſci judicans, minorativam potionem præſcripſi:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Mellis aërii, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in ſeri lactis ℔. j. f. ſ. a. p. lax. in duas doſes diſtrib.

Multas dejectiones adduxit potio, legitimèque tenera deinceps facta fuit alvus. Attamen, die 14. humores vitiati reſidui, Colicos dolores in inteſtinis excitantes, Catharticâ potione fuerunt protruſi:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℥. vj. f. &c.

His auxiliis convaluit laudata virgo: quam tamen monui, ut aſinino lacte uteretur; ad quod quidem eò libentiùs confugit, quo olim propter innatam ſibi tuſſiculam, & ſpiritûs anguſtias, quotannis illud pro cœnâ ſumpſiſſet.



OBSERVATIO

OBSERVATIO X.

DIe 5. Martii 1727. vidi unum è servis nobilissimi viri Domini *** in supremâ Parisiensi Curiâ Senatoris, annos natum 34. Pleuritide ad peripneumoniam accedente correptum. Dolore punctorio à latere dextro ad mediam sterni partem sese extendente cruciabatur; hunc premebant spiritûs angustiæ, lacessebat frequens & molesta tussis; torquebat continua febris; perterrebat quoque sputum cruentatum. Alvus erat adstricta, gravatum caput. Temperamentum autem sanguineum; quadratum corpus & obesum; suavissimi mores. Morbi dies quartus hic erat. Solâ quidem sorbitione vixerat, nullum autem remedium tentaverat. Illicò ductæ sunt è brachio ℥. sang. xij. ptisana parata est ex decocto radic. Graminis & Orizæ paucâ quantitate; additâ sub decoctionis finem, althææ radice. Sequentem quoque potionem Cochleatim hauriendam præscripsi, quâ quidem frequentissima tussis & asperrima mitigaretur.

℞. Spermat. Ceti. ʒ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. vj.
Adde Syr. althææ & diacod. ana ʒ. vj. f. p.

Medio die, sudor uberrimus manavit,

ad horam uſque ſextam veſpertinam; quâ, depoſitis induſiis, denuò ductus eſt è brachio ſanguis ad ℔. fermè unam.

Die 6. manè, tertia in cubito celebrata fuit venæ ſectio, ſimili quantitate; ſed exitu proſperrimo: nam ſputum facile, rotundum, ex albo-flaveſcens emiſit ægrotans: liberior facta eſt reſpiratio; paululùm remiſit febris; copioſus erupit ſudor: alvum autem ſubduxit Enema veſperè immiſſum, & ex emolliente decocto paratum, cum Mellis nymphati ℥. iv.

Die 7. indicationem à ſputorum colore deſumens, purgationem inſtitui:

℞. Mellis aërei, ℥. iij.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Alvus legitimè ſubducta eſt, uſquè ad medium diem, quo ſcilicèt, ſudore maduit ægrotans. Ut autem continua moleſtaque tuſſis ſedaretur, nec ideò tamen expectorationi nocerem; additum eſt ptiſanæ caput papaveris, ſemine detracto.

Die 8. ſalutis aliqua ſpes affulſit; quæ quidem ut firmaretur, parata ſunt ſequentia:

℞. Fol. Bugloſſ. Borrag. Cichor. & Cerefol. ana M. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. Viol. ℥. j. in ſ. q. aq. f. apoz. ad tres doſes.

Liquidam hâc methodo tenuimus alvum die totâ.

Die 9. ſomnus ægrotantem recreaverat hor. circiter vj. data ſunt apozemata ſimilia, omiſſo manna.

Die 10. mediocriter tumebat abdomen: lingua flaveſcebat; os amareſcebat: ſequentem illicò potionem præſcripſi:

℞. Siliq. contuſ. ℔. ß.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In Colat. diſſol. Sal. Stib. g̃. ij. f. p. lax. in tres doſes alternis horis exhibendas diſtribuenda, juſculis intermediis.

Nota, quòd ubi Stibium parvâ doſi copioſam purgantem miſturam ingreditur, tunc laxanti vim addat; Emeticamque virtutem amittat, vel ſi ventriculus ſaburrâ viſcidâ ſcateat, ſtatim quò natura vergit, eò ducat Stibium. Dejectiones autem uberrimas adduxerunt doſes Catharticæ; noſtraque adimpleta eſt expectatio.

Diebus 11. 12. & 13. Clyſteres immiſſi ſuut aſſiduè; modò ex aq. fluviali ſolâ, modò cum Melle nymphato. Febris autem ipſo die decimo intermiſit; poſtque leviſſimam acceſſionem ex toto quievit, die 13.

Die 15. depulſis omnibus morbi ſymptomatis, Catharticum ſequens exhibitum eſt:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Diſſol. in aq. ℔. ß.
In Colat. diſſol. Sal. Veget. ℥. j.

Et dilue Catholic. dupl. ℥. j. f. haustus.

Posteà gradatim ampliorem victum convalescenti concessimus, & intrà paucos dies solitum explevit officium.

OBSERVATIO XI.

DIe 7. Maii 1727. curavi Dominum *** Ephippiorum Opificem, annos natum 45. Peripneumonicum. Ardebat febris, urgebant spiritûs angustiæ; tussis aderat frequens & molesta; necnon sputum cruentatum laboriosè & parùm erumpens, mens erat aliquando delira: morbi verò dies hic quartus, terque sanguinem è brachio duxerat Chirurgus peritus. Temperamentum gerebat melancholico-sanguineum, morosam mentem, corpus quadratum. Ut ergo sanguinis ad superiora ruentis haberetur ratio, pulmonum infarctus imminueretur, expectoratio fieret expeditior, me suadente ducta est è saphenâ ℔. sanguinis j. Ptisana facta est ex radicibus Gramin. radicæ Althææ & flor. Papaver. errat. simul in infuso. Potio quoque parata ex Spermat. Ceti. ℨ. j. ß. Ol. amygd. dulc. ℥. v. Syr. Capillor. Vener. ℥. j. Cochleatim potitata est. Sub vesperum, Enema fuit immissum ex emolliente decocto & Mellis Nymph. ℥. iv.

Die 8. æger factus erat mentis compos, faciliùsque erumpebant sputa parùm adhuc cruentata. Clyster injectus est manè priori simillimus; alter vesperè ex aquâ fluviali.

Die 9. cum domesticis quibusdam curis angeretur, acriterque commoveretur, subitò se quasi præfocatum percepit: undè contigit sputorum suppressio. Missæ sunt illicò sanguinis ℥. xij. è brachio. Vesperascente die, Clyster injectus est ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. ptisana & potio ut suprà.

Die 10. molestabant ægrum nauseabundi conatus, difficilèque sputum emittebat; itaque quò natura vergebat, eò ducta est:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Bull. q. s. in aq. ℔. j. ß.
F. Colat. in duas doses distrib.
In priore dissol. Sal. Stib. ℈. iij.
In alterâ Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Et dilue Syr. viol. ℥. ß.

Votis respondit evacuatio supernè & infernè facta: placidus ægrotantem recreavit somnus nocte proximâ hor. circiter quatuor.

Dei 11. sequentia sumpsit Apozemata:

℞. Fol. Bugloss. Borrag. & Cichor. ana M. ß.
Fol. Hederæ terrest. p. ij.
Flor. Tussilag. p. j.
Syr. viol. ℥. j. in aq. s. q. ad tres dos.

Hæc aſſiduò parata ſunt ad diem uſque 15. quotidièque fuit immiſſum Enema ex emolliente decocto & Mellis Nymph. ℥. iij.

Die 15. fuit inſtituta purgatio :

℞. Mellis aërei, ℥. iij.
Syr. de pomis comp. ℥. j.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Convaleſcens jam videbatur dictus Artifex, nî temerè labori ſe tradidiſſet. Verùm,

Die 18. febre ſtatim correptus eſt, tuſſi frequente ſtipatâ ; miſſæ ſunt è brachio ℥. ſang. xij. oleoſa potio priori ſimilis fuit compoſita.

Die 19. ſedata ſunt ſymptomata : Clyſter injectus eſt ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. Nil novi tentatum eſt die 20.

Die 21. ſumendam præſcripſi laxantem hanc miſturam :

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Diſſol. in lactis vaccini, ℔. ß.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. f. hauſtus.

Die verò 22.

℞. Seri lactis ℔. ij.
Syr. Capillor. Vener. ℥. j. ß.
F. potus totâ die hauriendus & quotidiè repetendus donec prohibeatur.

Ultimò autem purgatus eſt die 26.

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iij.

Bull. q. ſ. in aq. ℔. ß.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In Colat. dilue Syr. de Cichor. comp. ℥. j. f. hauſtus.

OBSERVATIO XII.

DIe 19. Maii 1727. vocatus ſum curaturus filiam Domini *** annos natam 12. Peripneumonicam. Semel ei ſecta fuerat vena in brachio; reſpiratio erat difficillima, tuſſis frequens & moleſta, ſputum cruentatum, parùm & laboriosè erumpens. Denuò, me jubente, ductæ ſunt è brachio ℥. ſanguinis ix. ptiſana parata eſt ex decocto radic. Graminis & Orizæ; potioque ſequens inſtituta:

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Adde Syr. viol. ℥. j. f. p. Cochleatim potitanda.

Veſperaſcente die, Clyſter injectus eſt ex furfuris decocto & Mellis Nymphati ℥. ij. Noctem pervigilavit ægra, æſtu febreque jactata.

Die 20. manè, ptiſanam faſtidiebat. Quamobrem ut temperaretur ardor, Emulſio parata eſt:

℞. Semin. iv. frigid. ℨ. vj.
Semin. Papaver. albi, ℨ. j. ß.
Amygd. dulc. Excortic. N°. iv.

Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. ij. ß. f. Em.

Verùm hic potus non impediit quominùs naſcens delirium creverit. Itaque ſub veſperum miſſus eſt è ſaphenâ ſanguis ad ℥. xij.

Die 21. potionem oleoſam & Emulſionem reſumpſit ægrotans, ſuæ mentis facta compos. Immiſſum eſt Enema manè, ex aquâ fluviali ſolâ: alterum declinante die, addito violato Melle. Juſcula parata ſunt ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ & gallinaceo pullo. Facta eſt liberior reſpiratio, copioſa & facilis expectoratio.

Die 22. ſumpſit hoc purgans:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.

Ol. amygd. dulc. ℥. j. ß.

In aq. ℥. vj. pro hauſtu ſ. a. parando.

Ubertim dejecit, memorataque ſymptomata remisêre.

Die 23. nauſeæ nonnullæ ægrotantem ex intervallo moleſtabant; tumidus erat venter. Immiſſi ſunt manè & veſperè Clyſteres ex furfuris decocto & Mellis Nymphati ℥. ij. ſimiliter die proximo.

Die 25. ut neceſſaria daretur ventriculi ſubverſio, viſcidaque colluvies indè divelleretur, ac vomitu pariter & ſeceſſu deturbaretur, ſequentem miſturam præſcripſi:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.

Sal. Stib. g̃. j. ß.

In aq. ℥. vj. f. ſ. a. hauſtus.

Expectationi ſatisfecit potio, tamque fauſtæ res fuerunt, ut curam omnem abſolverit Catharticum die 28 exhibitum:

Manna Calabrini ℥. ij. diſſol. in lactis vaccini ℥. vj.

In Colat. dilue Syr. viol. ℥. ß. f. hauſtus.

OBSERVATIO XIII.

Die 24. Maii ejuſdem anni, conjux cujuſdam Ephippiorum Opificis, annos nata 45. ſemeſtrem fœtum utero gerens, Peripneumonica, citatim accivit me. Hanc laceſſebat frequentiſſima tuſſis, undè acres & *cinctorii* renum dolores oriebantur, abortum ſcilicet minantes. Spiritûs anguſtiæ premebant ægram, territabantque ſputa cruentata. Temperamento erat ſanguineo-bilioſo, moroſâ mente & fervidâ, corpore gracili. Ducta eſt è brachio ℔. ſanguinis fermè una. Ptiſana compoſita eſt ex radic. Graminis Althææ, fol. Capillor. Veneris, & flor. Tuſſila omnibus in infuſo. Sic. autem inſtituta potio:

℞. Spermat. Ceti. ʒ. j. ß.

Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v.

Adde Syr. Althææ & Diacod. ana ʒ. vj. f. p. Cochleatim exhib.

Juſcula parata ſunt ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, cum gal-

ſinaceo pullo & orizâ. Sub veſperum, denuò ducta eſt è brachio ſimilis quantitas ſanguinis.

Die 25. mitiora erant ſymptomata, adſtrictam alvum ſubduxerunt Enemata ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. in unoquoque decocto. Similiter actum eſt diebus 26. & 27.

Die 28. ſic purgata eſt :

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. iij.
In aq. ℔. ß. f. hauſtus laxans.

Dejecit abundè, proximæque ſalutis ſpes affulſit.

Dei 29. ſuperſtitem tuſſiculam ſedavetunt Ol. amygd. dulc. ℥. iij. uno hauſtu ſumptæ; liberam alvum fecêre Clyſteres ex aquâ fluviali.

Die 30. reſiduum ardorem temperavit Emulſio :

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. vj.
Aq. Hordei, ℔. iij.
Syr. viol. ℥. j. ß. f. ſ. a. Emulſ. pro potu.

Die ultimo Maii,

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. viol. ℥. j. in lactis ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Die primo Junii, immiſſum eſt Enema ſimplex, utque legitimus revocaretur ſom-

nus, julepum ſequentem ſerotinis horis exhibuimus.

℞. Aq. Papaver. errat. ℥. iij.
Syr. Diacod. ℥. j. f. jul.

Placidum ſoporem petivit ægra, & convalere cœpit: medicamentis autem finem impoſuit miſtura laxans die 4. ſumpta, ſicque parata:

℞. Mellis aërei ℥. ij.
Medull. Caſſ. recens Extract. ℥. j.
In ſeri lactis ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Firmam ſanitatem in dies recepit, legitimoque tempore filiam valentem & obeſam enixa eſt.

OBSERVATIO XIV.

DIe 25. Februarii 1728. accerſivit me Dominus *** Aulæorum Mercator, annos natus circiter 26. Pleuritide in Peripneumoniam abeunte correptus. Pulſus erat durus, turgidus, ſcintillantes oculi, gravatum caput, artus torpidi, venter tumens, deurens febris, reſpiratio difficillima, frequentiſſima tuſſis, ſputum uberrimum, cruentatum; dolor lancinans hâc die medium Thoracem occupans, & ad claviculam ſe extendens. Temperamentum autem ſanguineum, gracile corpus, mores ſuaviſſimi. Porrò in morbum inciderat die menſis ejuſdem 21. venæ

ſemel fuerat in cubito ſecta, die ſcilicèt 24. Denuò miſſus eſt ſanguis è brachio ad ℥. xij. potio ſequens inſtituta eſt:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. vj.
Adde Syr. Althææ, ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Veſperaſcente die, rursùm è brachio ductus eſt ſanguis. Enema, duabus horis elapſis, ex emolliente decocto, cum Mellis Nymphati ℥. iv. Ut autem ſudor difficillimè erumpens ubertim eliceretur, hanc potionem præſcripſi:

℞. Aquar. Meliſſ. & Card. bened. ana ℥. ij.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Diaphoret. miner. g̃. xv.
Syr. de Tunicâ, ℥. j.
F. p. cujus una pars illicò exhibeatur; reliquum autem horis duabus interpoſitis ſumatur.

Factus eſt ægrotans ſudore diffluens, remiſſaque viſa ſunt ſymptomata.

Die 26. manè, immiſſum eſt Enema ex furfuris decocto, & Mellis Nymphati ℥. iij. alterum veſperi ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. detumuit venter: oleoſam verò potionem deſcriptæ ſimillimam Cochleatim reſumpſit æger. Nihilotamen minùs ſæviêre ſymptomata.

Die 27. manè, ſic inſtituta eſt potio:

℞. Mellis aerei, ℥. ij. ß.

Ol. amygd. dulc. ℥. ij.
In aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Facta est respiratio liberior; alvus ubertim soluta, remissa febris. Sub vesperum, simplex immissus est Clyster.

Die 28. datæ sunt Ol. amygd. dulc. ℥. iv. uno haustu, horâ scilicèt sextâ matutinâ; similiter horâ nonâ, horâ duodecimâ, & horâ post meridiem tertiâ, jusculis intermediis. Sub vesperum, infusum est Enema priori simile. Minor adfuit infarctus pulmonum; spes proximæ salutis affulsit; alvus abundè subducta est.

Die 29. fuit hæc purgantis formula.

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j.
In seri lactis ℔. j. f. s. a. p. lax. ad duas doses.

Dejectiones uberrimas adduxit.

Die 1. Martii, & 2. Clysteres immissi sunt ex emolliente decocto. Cùm autem aspera tussis ægrotantem adhuc molestaret, oleosam potionem iterùm sumpsit.

Die 3. parùm cautè se gesserat, prægelidumque captaverat aërem; undè rursùm increbruêre symptomata. Febris exarsit, intumuit venter, urgentes fuerunt spiritûs anguſtiæ; vena in cubito secta est; utque prementi periculo citam afferrem medelam, sequens parata est potio, tertiâ quâque horâ Cochleatim potitanda:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j.
Kermet. miner. g̃. v.
In Ol. amygd. dulc. ℥. v. f. p.

Quæ priùs difficillima facta erat expectoratio, liberalis hoc die facta est; vesperascenteque die detumuit venter, & alvus fuit copiosè subducta. Pro potu paratum est decoctum pulli gallinacei cum semin. iv. frigid.

Die 4. rursùm in molem insigniter accreverat abdomen; laboriosa licèt copiosa, deveniebat expectoratio. Quapropter eadem servata est methodus quæ die 28. Februarii fuerat instituta. Sat prosperè res gestæ sunt. Idcircò similiter die proximo actum est.

Die 6. præparati humores sic deturbati sunt:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de violis, ℥. j. in lactis vaccini ℔. ß. f. s. a. haustus.

Levamen incredibile ab hâc potione accessit.

Die 7. ut superstes tussis temperaretur, hanc potionem parandam judicavi:

℞. Spermat. Ceti, ℥. j. ß.
Dissol. in Ol. Amygd. dulc. ℥. v.
Adde Syr. Diacod. ℥. j. f. p. Cochleatim potitanda.

Exitu faustissimo repetita est potio die 8. quam tamen cùm fastidiret æger, pulli gallinacei decocto additum est caput Pa-

paveris : sequentem verò bolum manè & serò voravit :

℞. Spermat. Ceti, g. xv.
Anti-Hect. Poterii, g. vj.
Corall. rub. g. iv.
Cum s. q. Syr. Papaver. albi, f. bol.

Similia facta sunt ad diem usque 12. inclusivè.

Die 13. diætæ immoderatæ se tradiderat æger, nobis insciis, febrisque cum horrore prævio suborta fuerat die 12. Pulsum etiam nunc frequentem deprehendi, ventrem subtumidum; sequentia præscripta sunt Apozemata :

℞. Folior. Bugloss. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Capillor. Vener. p. ij.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j.
In aq. ℔. j. ß. f. a. apoz. laxans ad tres doses, tertiâ quâque horâ sumendas, jusculis intermidiis.

Feliciter usurpata, sunt, detumescente videlicèt abdomine, alvoque subductâ. Similia fuêre gesta die 14. quâ quidem in vesperum declinante, horror ægrotantem corripuit. Emulsiones febrifugæ sic institutæ sunt :

℞. Cortic. Peruvian. contus. ℥. j.
Bull. q. s. in aq. ℔. ij.
Colat. affunde super semin. iv. frigid. contus. ℥. vj.

F. denuò Colat. in quinque doses distrib. & tertiâ quâque horâ sumend. jusculis intermediis.

Post dies quinque, febris ex toto quievit.

Die 19. largiorem concessi diætam, & priusquàm somno indulgeret vir convalescens, horâ scilicet decimâ serotinâ, paratus est haustus ex ovi recentis vitello aquâ fervente soluto & diluto, cum sacchari paucâ quantitate. Tussim residuam intrà paucos dies sedavit hæc potio.

Ut ergo læso pectori, labefactatisque viribus consuleretur, asinini lactis usum præscripsi: ac ubi, me jubente, ab eo abstinuit: ad lac caprinum, me hortante, confugit, solitisque præparationibus administratis, validam sanitatem tutò recepit.

OBSERVATIO XV.

DIe 30. Martii ejusdem anni, invisi nobilem virum Dominum Equitem *** annos natum circiter 44. Peripneumonicum: temperamento bilioso, fervidâ mente, macilento corpore. Tussim siccam & frequentem, etiam in statu, respectu sui, sano, patiebatur; ipsi denique spiritus semper erat angustior, unde a singulâ tempestatum mutatione facilè lædebatur; venæ sectionem cum insigni virium jactu-

râ ferebat: omni tempore, omni horâ, intùs æstuabat. Hoc autem die respiratio erat difficillima, febris acuta, cutis deurens & aspera, tumens abdomen, oculi scintillantes, frequentissima tussis cum sputis seroso-salsis, ex intervallo paululùm cruentatis; pulsum tactu durum percipiens, necessariam venæ sectionem judicavi. Ductæ sunt igitur ℥. sanguinis ix. Ptisana parata est ex orizæ decocto, additâ Althææ radice in infuso, ut fieri solet. Potionem verò sequentem Cochleatim potitavit:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. vj.
Adde Syr. Althææ & Diacod. ana ʒ. vj. f. p.

Sub vesperum; immissus est Clyster ex emolliente decocto, & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 31. noctem pervigilaverat ægrotus; tussis tamen benignior erat, febrisque mitigata. Ingens autem à venæ sectione, virium accesserat exinanitio. Cætera facta sunt sicut die priori, feliciterque gesta.

Die Aprilis 1. Catharticum sumpsit:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij.
In aq. Papaveris errat. ℥. vj. f. s. a. haustus.

Dejecit abundè, cum levamine non mediocri.

Die 2. immissa sunt Enemata, unum scilicèt manè ex furfuris decocto, alterum declinante die ex simili decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. Oleosa autem potio, qualis suprà descripta est. Potus fuit paratus ex pulli gallinacei decocto & seminib. frigidis, loco ptisanæ. Similiter actum est diebus 3. 4. & 5.

Die 6. sedatis morbi symptomatis, sic instituta est purgatio, levis equidem, propterea quod facile subduceretur alvus:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Dissol. in lactis vaccini ℥. vj.
In colat. dilue Syr. viol ℥. j. f. s. a. haustus.

Pulmonum infarctui residuo, & intestinorum, à fermentescente biliosâ colluvie, irritationi tutam attulit medelam hæc mistura laxans. Verumtamen convalescentem rogavi, ut unoquoque manè, quamdiù posset, sequentem voraret bolum:

℞. Spermat. Ceti, g̃. xv.
Corall. rub. g̃. viij.
Cum Syr. Corall. f. bol.

Honorem monito debitum persolvit: plus autem justo viribus suis arrogans, vesaniente vento, varias urbis regiones pedibus peragravit; statimque, die scilicèt mensis ejusdem 29. in morbum similiter sævientem recidit, rursùmque doluimus; quia dolebat.

Die igitur Aprilis 29. venæ sectione,

propter suprà relatam rationem, spretâ; potionem oleosam articulo primo descriptam proposui, jurulentam Emulsionem articulo quarto designatam; Enemata similiter.

Die 30. idem actum est; sed naturæ sudores molienti sic auxiliatum fuit:

℞. Aq. Meliss. Card. bened. & Scorzoner. ana ℥. j.
Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Diaphoret. miner. g̃. x.
Syr. Tussilag. ℥. j. f. haustus.

Sudores ubertim elicuit hæc potio; quâ quidem mediante, res factæ sunt meliores: quod enim ratio dictabat, experientia confirmavit. Nempè ab impeditâ transpiratione subortus erat morbus, à restitutâ proindè fuit dispulsus. Febris igitur ex toto quievit.

Die primo Maii, alvum subduxit potio sequens:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Medull. Cass. mund. ℥. j.
In seri lactis ℔. ß. f. s. a. &c.

Non parùm indè mitigata sunt residua symptomata: desideratum verò somnum consiliavit julepus:

℞. Aq. Papaveris erat. ℥. iij.
Syr. Diacod. ʒ. vj. f. jul.

Die 2. tussis adhuc ægrotantem molestabat. Ad obtundenda proindè salium in fluidis redundantium acumina, supersti-

temque temperandum ardorem, quo se quasi conflagrare conquerebatur, in locum *emulsivi* decocti suprà dicti, Emulsionem suffecimus:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j. ß.
Amygd. dulc. Exortic. N°. viij.
Amarar. N°. iv.
Contund. &c. sensim affund. decocti ex hor. parati ℔. iij.
In Colat. dilue Syr. Tussilag. & Diacod. ana ʒ. vj. f. Emuls. Cyathim pro potu ordinario sumenda.

Similia gesta sunt ad diem usque nonum; non omissis Clysteribus, prout occasio postulavit: atque horâ somni haustum exhibuimus assiduè, paratum ex ovi recentis vitello, aquâ fervente, & sufficienti quantitate sacchari.

Nota, quòd virium infirmitas toto morbi cursu non siverit ut ægrotus solâ sorbitione vixerit; sed jurulentum panem (gallicè *un potage*) ipsi quotidiè necessario concesserim.

Die 10. lacti caprino tutam viam paravit Cathartica potio:

℞. Mellis aërei & Catholic. duplic. ana ℥. j.
In aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Die 11. propositum lac sumpsit, similiterque mense solido: quo quidem elapso, rursùm purgatus est cum Mellis aërei, ℥.

ij. in decocti ex vitulinâ carne parati ℔. ß. Firmissimam sanitatem stupentibus consanguineis & amicis adeptus est. Mense verò Septembri ejusdem anni, lacte asinino usus est, ut recidiva præverteretur.

OBSERVATIO XVI.

Die 12. Aprilis ejusdem anni, accivit me Dominus *** in Castelleto Parisiensi Tabellarius, annos natus circiter 69. Peripneumoniâ symptomatis immanibus stipatâ laborans. Nam præter Idyopathica Peripneumoniæ signa, dysuriam, diarrhæamque patiebatur: dysuriam quidem jamdudùm familiarem; affectum verò posteriorem adventitium. Pulsus erat durus, profundus, convulsivus, ignescentes oculi, gravatum corpus, respiratio difficillima, molesta expectoratio. Statim è brachio ductæ ℥. sanguinis xij. Sub vesperum, denuò missus est simili quantitate sanguis; potioque sequens instituta;

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Dissol. in Ol. amygd. dulc. ℥. vj.
Adde Syr. de violis, ℥. j. f. p.

Die 13. manè, ab inflammatoriâ sangûinis qualitate, & sævitiâ symptomatum, repetendæ venæ sectionis necessitatem desumpsi: missus estque statim è cubito sanguis ad ℥. circiter ix. Medio autem die, in-

fusum est Enema ex radicis Althææ & seminis Lini decocto. Potio similiter oleosa parata est. Paululùm cruentata vesperè sputa emissa sunt.

Die 14. manè, exhibuimus Ol. amygd. dulc. ℥. iv. uno haustu; similemque, horis quatuor interpositis, quantitatem. Declinante die immissum est Enema ex aquâ & butyro recente. Alvus sine dolore fuit subducta; *expectoratio* facilior facta est & uberior: sputa verò serosa erant, mucosa subindè & cruentata.

Die 15. humoris seroso-mucosi destillatio in pulmones facta est copiosa, qui quidem liquor per screatum erupens sapore salsus percipiebatur & limpidus fluebat, ne minimâ quidem sanguinis guttulâ vel radio donatus: ubi verò fuerat per horæ spatium in vase servatus; tunc non mutato calore, sed pondere quasi adaucto, continuâ colluviei serie in latum & altum utrinsecùs ducebatur. Interdùm tamen alba, tantillùm cruentata & rotunda sputa tussiculosos conatus proximè sequebantur. Ut ergo salia obtunderentur, temperaretur ardor, in ptisanæ locum suffecimus decoctum pulli gallinacei cum seminibus frigidis, rursùm oleosa potio præscripta est. Clyster immissus ex radic. Althææ & Consolid. major. decocto.

Die 16. hor. circiter iv. somno fuerat recreatus æger; remissa videbantur sym-

ptomata, benignior erat febris, tuſſis rara, facilior mictus. Nil novi tentatum eſt.

Die 17. tumidus venter tactu percipiebatur, bilioſum humorem, paucâ quidem, ſed repetitâ quantitate noctu fuderat; ſequentem inſtitui purgationem:

℞, Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amyg. dulc. ℥. ij.
In aq. Papaver. errat. ℥. vj. f. ſ. a. hauſtus.

Expectationi reſpondit hæc miſtura laxans, ſequuturæque ſanitas radius ſubfulſit.

Die 18. potionem quamlibet oleo permixtam faſtidiebat ægrotus; ſic itaque bolum ſubrogavimus;

℞. Spermat. Ceti, g̃. xv.
Corall. rub. g̃. viij.
M. Pilul. de Cynogloſſ. g̃. j.
Cum ſ. q. Syr. Tuſſilag. f. bol. manè & ſerò vorandus.

Enema veſperè immiſſum eſt ex ſemînis Lini decocto. Similia facta ſunt ad diem uſque 23. omiſſis tamen Clyſteribus, ob fuſiorem alvum, quam contrahere noluimus, donec legitima criſis fuerit.

Die 24. Catharticum exhibuimus:

℞. Catholic. duplic. ℥. j.
In aq. Plantag. ℥. vj. f. &c.

Die 25. nullum Peripneumoniæ ſymptoma deprehendebatur, ſed noctes pervigilaverat ægrotus: ſalſus ſubindè liquor

tussim movebat. *Emulsivum* decoctum pro potu ordinario supra descriptum gustui ingratum evaserat; Emulsiones ergò sic fuerunt instituæ:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. vj.
Syr. viol. & Diacod. ana ʒ. vj. in decocti ex orizâ parati ℔. iij. f. Em.

Bolum autem articulo septimo descriptum voravit assiduè. Clysteres fuerunt immissi, modò simplices, modò compositi, prout postulavit occasio. Hæc observata sunt ad diem usque primum Maii, tuncque dictus vir, convalescens rectè appellandus venit.

Die 2. Maii, ut ventriculus roboraretur, si quæ residua colluvies vitiata, ipsa deturbaretur; ultimam hanc purgationem adhibuimus:

℞. Mellis aërei, & Catholic. duplic. ana ℥. j.
In aq. ℔. ß. f. s. a. p. uno haustu sumend.

Attamen hunc monui, ut caprino lacte statim uteretur quotidiè, priusquam thalamis se componeret. Fecit, validissimamque sanitatem est adeptus.

Nota, quòd lactis cujuslibet usum semper ad horam somni præscripserim, hisce potissimùm rationibus ductus. Primò, quòd subsecuturus somnus legitimam la-

ctis

ctis distributionem juvet. Secundò quòd, sub spe boni, noxa inferatur iis qui mane summo lac hauriunt: præterquamquod enim sæpissimè evecantur à somno; diversis adhuc diei exercitationibus, vel negotiis, remedium si non corrumpunt, saltem illius vim & utilitatem frangunt.

OBSERVATIO XVII.

Die 7. Maii 1729. curavi Dominum *** Clericum, annos natum 22. In morbum inciderat die mensis ejusdem quintâ, quâ æstu deurenti subitò fuerat jactatus; capitis gravitate, frequente & molestâ tussi sanguinis sputo stipatâ, lateris punctorio dolore, interdùm gravante & profundo ad pectus autem & spinam pertingente nunc lacessitus. Erat ergo Peripneumonia à Pleuritide. Bis in brachio secta fuerat vena. Pulsus erat durus, inæqualis, profundus. Illicò ductæ sunt è brachio. ℥. sanguinis xij. similiterque vesperi. Olei amygd. dulc. ℔. ß. in quatuor doses distributam horis alternis sumpsit æger, jusculis intermediis; sequensque decoctum pro potu:

℞. Aq. communis ℔. v.
Fol. Capillor. vener. & flor. Tussilag. ana p. j. Bull. leviter.
Colaturæ adde Mellis Narbon. ℥. ij.

Bull. donec remaneant ℔. iv.

Lateri admotus est sacculus ex avenâ in aceto decoctâ.

Die 8. paululùm soluta fuerat alvus; remiserat febris, abdomen verò tumebat. Potionem Cochleatim potitandam præscripsi:

℞. Kermer. miner. g̃. iij.
Ol. amygd. dulc. ℥. iij. f. p. alternis horis exhib.

Cumulatè dejecit æger, vomituque viscosam illuviem sine molestiâ reddidit: mitigata est febris, sputa minimè cruentata prodiêre, eâdem respirationis angustiâ premente.

Die 9. jactationibus corporis multùm commotus est æger, interdùmque mente lapsus. Febris summo mane increbruit. Ductæ sunt è saphenâ ℥. sang. xij. parata fuerunt Apozemata:

℞. Fol. Bugloss. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Fol. Capillor. vener. flor. Tussilag. & Papaver errat. ana P. ij.
Syr. viol. ℥. j. ß. in aq. ℔. ij. f. s. Apoz. ad quatuor doses.

In unoquoque jusculo dissolvantur Spermat. Ceti g̃. xx. Sub vesperum Clyster fuit immissus ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. in sero lactis. Liberior facta est respiratio, febrisque remisit.

Die 10. sputa emissa sunt flava, maxi-

mè biliosa, rotunda, venter paululùm tumebat, viscosam & biliosam illuviem paucâ quantitate fundebat alvus. Apozematosæ quatuor doses repetitæ sunt; in uniuscujusque dosis Cochleari datum est Kermet. miner. g̃. j. Vesperascente die Clyster injectus est ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. Votis satisfecit hæc methodus, febrisque noctu intermisit. Ut autem vires amico recrearentur somno, julepum exhibuimus:

℞. Aq. Lactucæ & Papaver. errat. ana ℥. j. ß.
Syr. Nymph. & de Karabe, ana ℥. iij. f. jul.

Die 11. Apozemata simplicia fuerunt usurpata, Enemata quoque immissa, manè scilicèt ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj. in sero lactis; vesperè ex furfuris decocto & Melle violato. Julepum horâ somni utiliter exhausit æger.

Die 12. Catharticam potionem hausit:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. f. s. a. p. ad duas doses.

Paulò pleniore victu usus est.

Die 15. convalescenti viro laxantem exhibuimus misturam:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Catholic. duplic. ℥. ß.
In aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

OBSERVATIO XVIII.

DIe 24. Junii ejuſdem anni, vocatus ſum auxilio Domini *** in Caſtelleto Pariſienſi Procuratoris, annos nati 70. Peripneumoniâ fuerat correptus die menſis hujus vigeſimâ, nullumque ſibi remedium præter diætam tenuem inſtituerat. Temperamentum gerebat maximè pituitoſum, mentem feſtivam, obeſum corpus; febrilis ardor vigebat, frequentiſſima tuſſis pulmones excutiebat; glutinoſa interdùmque cruentata emittebantur ſputa; tantaque erat anguſtia reſpirationis, ut ne unâ quidem horâ ſupinus cubare poſſet æger. Pulſum deprehendi durum, turgidum, frequentem, ſcintillantes oculos, adſtrictam alvum, urinas ardentes. Largâ manu ſanguis è brachio miſſus eſt. Potionem Cochleatim potitandam ſcripto deſignavi:

℞ Spermat. Ceti, ʒ. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. iij.
Syr. Capillor. vener. ℥. j. f. p.

Ad veſperum, injectus eſt Clyſter ex decocto fol. Lactucæ, additis Mellis Nymphati ℥. iv.

Die 15. manè, ſimiliter ſymptomata ſæviebant; detractique ſanguinis color & conſiſtentia inflammationem denotabant.

Itaque rursùm in brachio vena secta est. Pectoralem exhibuimus potionem :

℞. Ol. amygd. dulc. ℥. ix.
Syr. Capillor. vener. ℥. j. ß.
F. p. in tres doses distrib. & tertiâ quâque horâ sumend. jusculis intermediis.

Sub vesperum, immissus est Clyster ex fol. Lactucæ & Betæ decocto.

Die 26. facilem excreationem fecerat oleosa potio, necnon tam supernè quàm infernè biliosam illuviem eduxerat. Immissa sunt Enemata simplicia, proximoque die alvum leniter subduximus :

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Medull. Cass. mund. ℥. j.
In seri lactis ℔. ß. f. s. a. haustus.

Serotinis horis, somnum jamdiù desideratum revocavit julepus :

℞. Aq. Lactucæ & Papaver. errat. ana ℥. j.
Syr. de Karabe. ℥. iij. f. jul.

Die 28. ad residuam tussim sedandam, bolum sequentem præscripsimus :

℞. Spermat. Ceti, g̃. x.
Corall. rub. g̃. v.
Antihect. poter. g̃. vj.
Cum s. q. Syr. Papaver. albi, f. bol. manè & serò vorandus, donec prohibeatur.

Interim Enemata assiduè fuerunt immissa, quibus laudabiliter alvus laxata est.

Deſcriptum verò bolum voravit æger uſque ad Julii quartum. Porrò die menſis ejuſdem 1. ſic purgatus eſt :

℞. Siliq. ægypt. contuſ. ℔. ß.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In ſeri lactis ℔. j. ß. f. a. p. lax. ad tres doſes.


Die Julii 5. priuſquam vaccino lacte uteretur, prævіam purgationem inſtituimus :

℞. Mellis aërei, & Catholic. duplic. ana ℥. j.
In aq. Cyatho f. ſ. a. hauſtus.

Dein dicto lacte uſus eſt :

℞. Lactis vaccini ℔. ß. bull. leviter, donec pelliculæ in ſuperficie concreſcentes bis fuerint extractæ. Adde infuſionis fol. Capillor. vener. & flor. Tuſſilag. p. æ. cum ſ. q. ſacchari ad gratum ſaporem, pro doſi manè & ſerò repetendâ.

Porrò lacte abſtinuit die Julii 13. quo quidem ſolutæ ſunt Manna ℥. ij. ß. in aq. ℥. vj. In colaturâ diluta eſt Syr. viol. ℥. j. ſanitatemque validiſſimam hâc methodo recuperavit.





SECTIO XVIII.

DE PHTHISI,

Tam imminente, quam præsente.

OBSERVATIO I.

Die 19. Augusti 1725. Domina *** annos nata 32. advocavit me, ut languori providerem. Plurimis autem abhinc mensibus, spirandi difficultate; tussiculâ frequente, dolore quodam punctorio in medio dorsi stipatâ laborabat; sputo deniquè cruento interdùm molestabatur. Inordinatè menstrua fluebant, & tribus jam à mensibus (quod maximè notandum venit) ubi Catameniorum tempus solitum imminebat, in linguæ medio, vena una instar rubentis papulæ eminebat, sensimque tumebat: quæ quidem eo ipso die quo Catamenia fluere consueverant, sanguinem ad ℥. vj. & aliquando ℔. ß. statim effundebat; uterus autem parvam cruoris copiam suggerebat: illa verò cruenta per os effusio, ad modicum uteri fluxum æquiparata, solitam & legitimam periodici fluoris quantitatem exæquabant. Sic autem fuerat menstruata die 9. mensis hujus Augusti; postque triduum natura siluerat. Secta est in

pede vena, miſſuſque ſanguis ad ℥. xij. Immiſſus eſt Clyſter ad veſperum ex emolliente decocto.

Die 20. ſerotinis horis bolum ſequentem voravit.

℞. Spermat. Ceti. ʒ. ß.
Tart. Vitriolat. g̃. x.
Balſam. ſulphur. gutt. vj.
Cum Saccharo & Ol. amygd. dulc. f. bol. quotidie vorandus, donec prohibeatur.

Die 22. inſtituta eſt quæ ſequitur purgatio:

℞. Siliq. Ægypt contuſ. ʒ. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j.
In aq. ℔. j. f. ſ. a p. ad duas doſes.

Copiosè dejecit ægra, & à medicamentis hactenùs adhibitis ſe melius habere prædicavit. Repetitus eſt bolus ſolito more.

Die 25. rurſum purgata fuit.

℞. Rhei electi. ʒ. j.
Elect. Lenit. ℥. j.
Sal. veget. ʒ. j. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. p. pro doſi.

Liberaliter exonerata eſt alvus; omniaque in dies facta ſunt meliora. Diebus verò ſequentibus, bolum ſimiliter ſumpſit, quotidièque manè juſculum *Medicamentoſum* exhauſit:

℞. Pulmon. vitulini partem dimidiam;
Fol. Buglоſſ. Borrag. & Naſturt. ana M. ß.

Fol. Capillor. vener. & Flor. Tussi-
lag. ana p. ij.
In s. q. aq. f. ex arte Jusculum, cujus colaturæ adde oculor. Cancror. ppt. ʒ. ß.

Hæc omnia prosperrimè tentata sunt, usquè dum menstrua fluerent: horumque tempore imminente, parùm tumuit vena annotata. Missus est è pede sanguis ad ℥. ix. Dieque proximâ flores uterini facilè prodierunt. Ubi verò desiêre menstrua, lacte asinino usa est mulier convalescens; indèque tàm firmo pectore se esse cognovit; ut toto trimestri à lacte non abstinuerit; nec deinceps vena sanguinem per os profuderit.

OBSERVATIO II.

Die 14. Octobris 1726. Dominus *** Mercator accivit me curaturum conjugem suam annos natam 32. jam à longo tempore infirmam. Frequentissimâ tussi molestabatur, aderant spiritûs angustiæ; dolores capitis pungentes, ejusdemque gravitas nonnullis stipata vertiginibus; color faciei ex albo virescens; oculi concavi, fuscam orbem circumferentes; fixi dolores inter scapulas. Semel fuerat secta vena in brachio; variæ purgationes adhibitæ; lac asininum mense Maio sumptum. Porrò tem-

peramentum erat bilioso-sanguineum ; fes- tiva mens ; corpus gracile. Pulsus autem profundus , frequens , *serratilis*. Ut ergo sanguinis motus ad superiora proclivis di- verteretur ; sanguiferorum , capitis præ- sertim , vasorum varicatio imminens vita- retur , simul & nervosi generis compressio ; crispata flecterentur solida ; saliumque in fluidis redundantium infringerentur acu- mina ; methodum sequentem tenuimus. Ac primò quidem paratæ sunt emulsiones.

℞. Semin. iv. frigid. major. ʒ. vj.
Semin. Papaver. albi. ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. iv.
Decocti de radice Nymphææ para- ti. ℔. ij.
Syr. Althææ , ℥. j. ß. f. a. Emuls.
Ultima verò dosis hauriatur tribus horis à cœnâ, statim atque thalamis se composuerit ægrotans.

Hoc notandum est , quòd somno vix posset indulgere , propter tussim scilicèt frequentissimam. Insuper sequentem quo- tidiè bolum instituendum decrevi :

℞. Spermat. Cet. g. xv.
Tart. Vitriol. g. viij.
Massæ pilul. de Cynogloss. g. j.
Cum Saccharo & Ol. amygd. dulc. f. bol. quotidiè manè & vesperè vorandus , donec prohibeatur.

Levamen non paucum percepit ægra , ad diem usque vigesimum quo quidem de-

doloribus circà renes; ſpontaneis laſſitudinibus, capitiſque vertiginibus conquerens; ſaphenæ ſectionem celebrari permiſit.

Die 23. ſic purgata eſt:

♃. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Pom. comp. ℥. j.
In aq. ℔. ß. f. a. p. lax. pro doſi.

Die 24. balneis domeſticis uſa eſt, manè; diebuſque ſecutis ab horâ matutinâ 9. ad undecimam. Quò diutiùs ſe lavit, eò majorem percepit utilitatem. Bolum tamen voravit aſſiduè, emulſioneſque ſumpſit, ad diem uſquè Novembris ſextum, quo fuit facillimè menſtruata. Tunc igitur à balneis & emulſionibus abſtinuit; neutiquam autem à bolo.

Die Novembris 13. fuit inſtituta purgatio:

♃. Mellis aërei, ℥ ij. ß.
In Juſculo ex vitulinâ carne parato ſolvantur.

Copioſæ dejectiones fuerunt; mitigataque quotidiè ſymptomata.

Die 14. ad bolum confugit ægra, emulſionibus omiſſis, quarum loco polentam Britannam (gallicè *Gruault de Bretagne*) ſubrogavi, ad modum *Caffé* paratam; colatumque liquorem Cyathim ſumendo.

Die 18. cùm de ſummo oris amarore conquereretur, omneque liquidum reſpueret Catharticum, purgantem potionem nil ingrati ſecum ferentem præſcripſi:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Aq. ℔. ß. f. ſ. a. Emulſ. pro doſi, cui adde pulver. de tribus ℈. ij.

Viſcidæ flavæque Colluviei circiter ℔. j. vomitu reddidit; uberrimamque copiam ſeceſſu. Legitima rediit cibi cupiditas.

Die 21. boli neglexit uſum, diebus continuis tribus. Intercurrente inter ſcapulas dolore fuit tentata. Mihi culpam confeſſa eſt, bolum reſumpſit, exitu proſperrimo.

Die 23. ab externo frigore deſtillatio facta eſt in pulmones, undè tuſſicula ſuborta; cui non ſolùm mitigandæ, ſed & fugandæ, contulit infuſum ex fol. Veronic. flor. Tuſſilag. & Papaver. errat. Deìn, ut ſuperſtes, ſi quæ eſſet, morbi labes auferretur, convaleſcentem hortatus ſum, ut ad aſininum lac confugeret: quo quidem per menſem ſumpto, caprinum temporis intervallo pari adminiſtraretur, Catharticis ſapienter interpoſitis. Facta ſunt quæ juſſeram, ſanitaſque in dies confirmata eſt.

OBSERVATIO III.

Die 8. Junii 1727. meum inclamavit auxilium Dominus *** in Cellâ Regis Fructuariâ Miniſter, annos natus 31. diuturno Rheumate laboraverat, hujuſque curam neglexerat. Tuſſi tandem continuâ ſputis ſtipatâ cruentatis, dolo-

ribus inter scapulas, spirandi difficultate, febre acutâ lentam subsequutâ, oris fœtore, artuum lassitudinibus, capitis vertiginibus, genarum rubore, cæterisque symptomatibus tabem in dies confirmantibus cruciabatur. Temperamentum gerebat sanguineo-biliosum, fervidam mentem, mores ordinatos, macilentum corpus. Statim ergo post institutam prognosim, ab ægrotante recedere volebam, nisi mœsta conjux precantesque parentes & amici miserationem commoventes, indè me ad impossibile tentandum diduxissent. Tunc igitur ad venæ sectionem confugissem; sed ab eâ frequens ægrotantis deliquium me deterrebat. Tempori ergo consulendum judicavi, donec paululùm refocillatæ vires indicationi faverent. Parata est ptisana ex fol. Capillor. vener. flor. Tussilag. radic. Althææ, & capite Papav. semine detracto: sequens etiam parata est potio:

℞. Spermat. Ceti, ℨ. j. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Syr. Althææ & Diacod. ana ℥. vj. f. p.
Cochleatim exhib.

Juscula composita sunt ex duplâ vitulinæ carnis quantitate, unâ bubulæ, cum caponis dimidio. Sub vesperum Clyster immissus est ex furfuris decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. Similiter actum est diebus 9. & 10.

Die undecimâ sic purgatus est:

℞. Manna Calabrini, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

Alvus legitimè soluta est, febris remisit, sputa faciliùs emissa sunt.

Die 12.

℞. Fol. Bugloss. Borrag. ana M. j.
Fol. Hederæ terrest. Capillor vener. & flor. Tussilag. ana p. ij.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. ß. f. s. a. Apoz. ad tres doses.

Hæc assiduè sumpsit usque ad diem 15. fluidamque servârunt alvum Enemata modò simplicia, modò composita.

Die 15. cùm venæ sectionem ferre possent vires, missæ sunt è brachio ℥. sanguinis xij. febris insigniter mitigata est. Internam inflammationem denotavit sanguinis color & *consistentia*. Ab Apozematis abstinuimus, itemque ab oleosâ potione quam fastidiebat ægrotans. Sequentes institutæ sunt Emulsiones:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ʒ. j.
Amygd. dulc. Excortic. N°. viij.
Aq. Hordei, ℔. iij.
Syr. Althææ & Diacod. ana ʒ. vj.
F. s. a. Emuls. Cyathim tertiâ quâque horâ exhib.

Ptisana pro potu eadem quæ suprà. In locum autem oleosæ potionis suffectus est bolus.

℞. Spermat. Ceti g̃. xij.
Tart. Vitriol. g̃. v.
Balſami ſulphur. gutt. iv.
Cum Saccharo & Ol. amygd. dulc. f. bol. quotidiè manè & ſerò vorandus donec prohibeatur.

Hæc repetita ſunt uſque ad diem 18. alvum intereà proritando mediantibus Enematis.

Die 19.

℞. Mellis aërei, ℥. iij.
In lactis vaccini, ℔. ß.
Cum Syr. viol. ℥. j. ſ. a. hauſtus.

Ubertim alvus ſubducta eſt, reſque ægrotantis meliores factæ ſunt; quamquam periculum quoddam non defuerit.

Diebus 20. 21. & 22. ſumptæ ſunt Emulſiones pro potu ordinario: bolus ut ſuprà; ſed ſemel tantùm in die, horâ ſcilicèt octavâ ſerotinâ. Manè verò voravit aſſiduè Medullæ Caſſ. recens extractæ ℥. iij. ſub formâ boli.

Die 23. abſtinuit ab Emulſione, cui quidem ſubrogata eſt potio laxans ſic inſtituta:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℔. j.
Bull. q. ſ. in ſeri lactis ℔. ij.
In Colat. dilue Syr. viol. ℥. j. f. p. Cyathim alternis horis exhib.

Similia geſſimus die proximo, atque feliciter.

His igitur omnibus adminiſtratis, con-

valescentem monui ut lacte caprino uteretur manè & vesperè, ad ℔. j. ß. scilicèt ℥. xij. pro singula dosi. Ptisanam verò suprà dictam resumeret; nilque ultra tentatum est. Porrò tanti morbi nulla labes remansit; vires quotidiè firmatæ sunt, sanitasque, stupentibus omnibus, tutò stabilita.

OBSERVATIO IV.

Die 8. Martii 1728. citissimè vocatus sum auxilio Dominæ *** annos natæ circiter 62. Jam hebdomadæ tres erant elapsæ, ex quibus modò Hæmorragiâ per os & nares, modò fluxu dysenterico, modò spiritus angustiis afficiebatur: declinante verò Februario mense in Peripneumoniam inciderat, quæ plurimis sapienter debellata remediis, diù tamen periculum minata est. Nam purulenta fuerunt sputa, parùm & difficilè erumpentia; tam laboriosa facta est respiratio, ut aërem in sedibus considens ægra difficillimè ducere posset. Manus pedes & crura tumor œdematosus occupabat; anima tandem luctans videtur, & nihil sperans ægrotantis frater, ad me citò properat. Audiens autem quòd ad hunc usque diem auxiliator adfuisset vir Medicus in Facultate Parisiensi Baccalaureus noster, nullum propono remedium: precibus autem fratris

tandem devictus, sequens laxans exhibendum decerno; eâ tamen conditione, ut ægrotantem meo consilio non juvarem, nisi præsente ordinario, qui convocaretur horâ diei ejusdem post meridiem sextâ:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥ ij. in aq. ℔. ß.
f. s. a. haustus.

Horâ designatâ convenimus ambo. Miranda præstiterat laxans potio; habitâ scilicet dejectionum ratione. Symptomata verò similiter sæviebant. Enema illicò immissum est ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iv.

Die 9. post infusum Enema priori simillimum; uno haustu sumpsit ægra Olei amygd. dulc. ℥. iv. Idem factum est horâ undecimâ matutinâ, & secundâ vespertinâ. Cadente verò sole, recepit Enema ex folius furfuris decocto. Facilior facta est respiratio; copiosaque alvi exinanitio.

Die decimâ paululùm remissus visus est morbus; bolum sequentem manè & serò voravit ægrotans:

℞. Spermat. Ceti, g̃. xv.
Tart. Vitriolati g̃. v.
Milleped. deaurat. g̃. x.
Balsami sulphur. gutt. vj.
Cum s. q. Syr. Tussilag. f. bol. bis quotidiè repetendus, donec prohibeatur.

Interim Oleum amygd. dulc. Cyathim

hausit, sicuti de præcedente Enema vesperi immissum est quale die 8. Res factæ sunt meliores: eidem viæ inhæsimus die undecimo.

Die 14. fuit instituta purgatio:

℞. Siliq. Ægypt contus. ℔. ß.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. viol ℥. j.
In seri lactis ℔. j. ß. f. s. a. p. lax. ad tres doses.

Mane autem abstinuit à bolo, quem tamen horâ solitâ vespertinâ sumpsit. Ubertim dejecit, jamque spei radius subfulgebat. Pro potu ordinario datæ sunt Emulsiones jurulentæ:

℞. Pullum gallinaceum accuratè exenteratum.
Cui adde Semin. iv. frigid. contus. ℥. j. ß.
Bull. in aq. ℔. v. ad remanent ℔. iij. f. potus.

Die xv. spirandi difficultas ægrotantem premebat, quam tamen citò fugavit sectio venæ in brachio. Sub vesperum infusus est Clyster prioribus similis.

Die 16. alvum subduxit mistura sequens:

℞. Fol. Bugloss. Borrag. Cichor. & Scolopend. ana M. j.
Follic. Senn. ℥. ij.
Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de v. radicibus, ℥. j.

In aq. ℔. j. ß. f. s. a. Apoz. lax. ad quatuor doses tertiâ quâque horâ sumendas, jusculis intermediis.

Similiter actum est die 17. rationem fausta confirmavit experientia: nam œdematosus tumor extremorum cum dejectionibus & urinis depulsus est.

Die 18. ut quæ copiosa quidem erat expectoratio, sine labore tamen provocaretur; Cochleatim sumendam potionem Præscripsimus:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. vj.
Syr. de Hederâ terrestri, ℥. j. ß. f. p.

Sputa proruperunt ubertim, eaque purulenta. Methodum eandem tenuimus ad diem usque 24. quo quidem intervallo, alvum teneram servârunt Enemata, modò simplicia, modò composita.

Die 26. tutam lacti viam paravit Cathartica potio:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Catholiq. duplic. ℥. j.
In s. q. aq. pro dosi s. a. paranda.

Ampliorem convalescenti victum concessimus, quem ventriculus probè concoxit.

Tunc lacte asinino usa est mense solido; quo currente, bis purgata est; quo autem emenso, laxantem hanc potionem exhibuimus:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.

Sal. Veget. ʒ. j.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. p. lax. uno hauſtu ſumenda.

Hunc hauſtum die proximo ſecutus eſt caprini lactis uſus, per menſis unius ſpatium. Idem ordo ſervatus eſt, qui in aſinino lacte fuerat adminiſtratus: tamque proſperè geſta ſunt omnia, ut ſtupentibus conſanguineis, nulla graviſſimi morbi labes fuerit deprehenſa.



SECTIO XIX.

DE PLEURITIDE.

OBSERVATIO I.

DIe 23. Martii 1726. vidi unum è ſervis Domini *** pedeſtrium copiarum Centurionis annos natum 21. pleuritide laborantem. Hæc igitur urgebant morbi ſymptomata, febris acuta & continua; dolor lateris punctorius; tuſſis frequens & moleſta; ſpirandi difficultas; quatuor pathagnomonica ſive eſſentialia pleuritidis exquiſitæ ſigna diagnoſtica: quibus quidem accidentale ſignum, cruentatum ſcilicèt ſputum acceſſerat. Corpore erat obeſo; temperamento ſanguineo. Ille porrò edaciſſimus, Lutetiæ recens factus incola.

Panem igitur albiſſimum, cibario quo priùs nutriri conſueverat longè meliorem, immoderatè voraverat. Jam miſſæ fuerant ℥. ſang. xij. è brachio die Martii 22. denuò ductus eſt ſanguis ad ℔. j. dein parata eſt potio:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Syr. de Althæâ, ℥. j. f. p. Cochleatim potitanda.

Interim infundatur Enema ex furfuris decocto & mellis Mercurial. ℥. iv. declinante in veſperum die, rursûm educta eſt è brachio ℔. ſang. j. dein topicum lateri dolenti admotum eſt, ex avenâ in aceto forti decoctâ, ſacculo involutâ paratum. Copioſus noctu manavit ſudor.

Die 24. remiſerat febris; facilior erat reſpiratio; tuſſis quoque cum liberiore ſcreatu; lateris dolor ferè nullus; cruenta tamen ex intervallo prodibant ſputa. Venam denuò ſecari juſſiſſem, niſi pondus in ventriculo, ructus acidi, frequenſque *borborygmus* illuviem in ſtomacho & inteſtinis fermeſcentem indicantia, aliam mihi viam patefeciſſent. Sequens ergò Cathartica potio ſtatim data eſt; ſectionemque venæ in proximum diem, ſi requireret neceſſitas, diſtuli.

℞. Siliq Ægypt. contuſ. ℥. iv.
Mellis aërei, ℥. ij. ß. in aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Laudabiliter soluta est alvus, resque feliciter se gessère.

Die 25. manè repetita est oleosa potio quæ suprà; Clyster simper fuit immissus. Sub vesperum autem, quamvis sputa nullatenùs essent cruentata; ut arteria tamen dura flecteretur, superstesque capitis gravitas, & faciei color purpureo rubicundus discuteretur; rursùm eductæ sunt è brachio ℥. sang. xij.

Die 26. injecta sunt Enemata manè & vesperè: unum scilicèt ex emolliente decocto & mellis Nymph. ℥. iij. alterum ex aquâ fluviali solâ.

Die 27. cùm purgationi locus daretur idoneus; sequens parata est mistura:

℞. Follic. Senn. ʒ. j. ß.
Siliq. Ægypt contus. ℥. vj.
Mellis aerei, ℥. ij. ß.
Syr. de pomis comp. ℥. j. in aq. ℔. j. f. s. a. p. ad duas doses.

Quotidiè melioribus factis ægri rebus, ultimò purgatus est die Martii ultimo, vi formulæ sequentis:

℞. Mellis aerei ℥. ij. ß.
Elect. Lenit. ℥. j.
Sal Epsomiens. ʒ. iij. in aq. ℔. ß. f. ex arte dosis lax.



OBSERVATIO II.

DIe 17. Septembris 1726. vocatus ſum auxilio Dominæ *** linteorum Mercaturam facientis, annos natæ 42. crudeliſſimâ pleuritidè laborantis. Vena ter ei fuerat ſecta in brachio, variæque purgationes à circulatore quodam inſtitutæ; qui quidem ad incitas redactus, medici tandem conſilium imploravit; de ægrâ nihilominùs actum eſſe pronuntians. Hanc æſtu febreque jactatam; vix ac vix reſpirantem; ſanguinolenta emittentem ſputa: de lateris acerrimo dolore conquerentem video. Tumebat abdomen; oculi ſcintillabant; interdùm mente labebatur. Ducta eſt illicò ex affecti lateris brachio ℔. ſang. j. utque moleſtæ tuſſi conſuleretur; parata eſt potio ſequens:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Adde Syr. de Althæâ, ℥. j. ß. f. p.
Cochleatim exhib.

Tota regio dolens ſequente topico cingatur:

℞. Avenæ in aceto forti decoctæ, ſ. q.
Sacculo includatur avena aceto maximè imbuta, denique admoveatur.

Sub veſperum, infundatur Enema ex

emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iv.

Die 18. manè, remiſsâ licèt febre, punctorius lateris dolor ſæviebat. Denuò miſſæ ſunt ex eodem brachio ℥. ſanguinis xij. admotum eſt ſimile topicum; mediantibuſque Enematis ut ſuprà paratis, detumuit venter, alvo factâ pro votis liquidâ. Similiter reptita eſt oleoſa potio.

Die 19. ſputa, non cruentata, ſed viſcida, rotunda, alba & cocta emiſſa ſunt; ſed lateris dolor, levior equidem, perſeverabat. Capitis autem acerrimus acceſſerat, vertigoque non rara. Quapropter ducta eſt e ſaphenâ ℔. ſanguinis una; Clyſteres manè & ſerò fuerunt immiſſi, ex decocto folior. Lactuc. & Betæ parati. Potio ſicut ſuprà.

Die 20. facta eſt reſpiratio liberior, ſana mens, leviſſima febris. Clyſteres ſolito more immittendos judicavi. Sputa emiſſa ſunt flava.

Die ergo 21. potionem laxantem illicò ſumendam præſcripſi:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. Amygd. dulc. ℥. ij. in ſ. q. aq. f. p. pro doſi.

Catharticum expectationi reſpondit.

Die 22. ut naturæ ſudorem molienti faveremus, ſequens parata eſt potio:

℞. Aq. Card. bened. & Meliſſ. ana ℥. j. ß.

Sang.

Sang. Ibicini, ʒ. ß.
Diaphoret. miner. g̃. xv.
Cum Syr. de Tunicâ ℥. j. f. p. uno haustu sumenda,

Uberrimus sudor erupit, sedatis indè superstitibus symptomatis. Tempore autem serotino, Clyster immissus est ex supradicto decocto.

Die 23. Enema simplicia immissa sunt: in proximam verò diem, hocce purgans designavi:

℞. Siliq. Ægypt. contus. ℥. vj.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j.
In seri lactis ℔. j. f. s. a. p. lax. in duas doses distrib.

Uberrimæ fuerunt dejectiones, febrisque fermè nulla deprehensa est.

Die 25. placido cursu catamenia fluxêre: ab omni remedio abstinui; ptisana pectorali, sequenteque bolo exceptis:

℞. Spermat. Ceti, g̃. xx.
Cum Saccharo & Ol. amygd. dulc. f. bol. quotidiè vorandus, donec prohibeatur.

Omnibus quotidiè melioribus factis, ultima fuit hæc instituta purgatio:

℞. Rhei, ʒ. j.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de pomis comp. ℥. j.
In s. q. aq. f. s. a. p. lax. pro dosi.

OBSERVATIO III.

DIe Novembris ſeptimo ejuſdem anni 1726. Dominus *** in Caſtelleto Pariſienſi antiquus Inquiſitor, annos natus 77. Pleuritide cruciatus, accerſivit me. Morbi dies hic quintus erat. Semel die morbi primo vena fuerat in brachio ſecta; nullumque alterum medicamen fuerat adminiſtratum. Febris urgebat, premebant ſpiritûs anguſtiæ, dolor lateris punctorius, tuſſis frequens & moleſta, ſputum cruentatum, vigiliaque perennis mortem in propinquo prænuntiabant. Pulſus erat plenus, turgidus, intermittens (qualis hâc ætate fieri ſolet) caput gravatum, abdomen in molem immiſſam tumens, alvus adſtricta. Difficillimè reddebantur urinæ. His omnibus conſideratis, ducta eſt è brachio ℔. ſanguinis fermè una. Meridiano tempore Clyſter fuit injectus ex temperante decocto & Mellis Nymphati ℥. iij. ventri autem admotæ ſunt emollientes herbæ leviter decoctæ. Prætereà ſumpſit æger ſequentem potionem :

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Diſſol. in Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Adde Syr. althææ ℥. j. ß. f. p. Cochleatim potitanda.

Serotinis horis, inſpectâ ſanguinis *in-*

flammatoriâ indole ; similis quantitas sanguinis è brachio ducta est. Ex herbarum dictarum decocto lysterimmissus est ; nullâ symptomatum remissione factâ.

Die 8. manè, facilior erat *expectoratio* ; cruentata quidem sed magis cocta videbantur sputa ; paululùm detumuerat abdomen, mediocri quantitate dejecerat æger. Iterati sunt fotus, Clysteres, non omissâ potione. Sub vesperum tertiò secta est vena. Topicum lateri dolenti admotum est, ex avenâ in aceto forti decoctâ, hocque probè imprægnatâ paratum.

Die 9. descriptam potionem oleosam fastidiebat æger ; sequentem itaque bolum subrogavi :

♃. Spermat. Ceti, ʒ. ß.
Cum Saccharo & Ol. amygd. dulc.
f. bol. bis quotidiè repetendus.

Immissum est Enema manè ex furfuris decocto, cum Mellis Mercurialis ℥. iij. alterum vesperi ex aquâ solâ. facta est respiratio facilior, remisit febris, alvus subducta est, abdomenque sensim detumuit.

Die 10. manè, bolus ut pridiè. Vespertinis horis, Enema, ex Siliq. Ægypt. contus. ℥. iv. Flavam illuviem ubertim dejecit æger : rara noctù fuit tussis, *expectoratio* liberalis, laudabilis tranquillitas.

Die 11. instituta est purgatio ex Mellis aërei, ℥. ij. ß. & Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. Cyatho. Abundè soluta est alvus.

Die 12. nihil novi tentatum est, præter Clysteres simplices. Omnia depulsa sunt symptomata, febre exceptâ, quæ quidem intermittens fuit, & sub vesperum accedens frigore levi præeunte stipata. Sequens Apozema in proximam diem paratum est.

℞. Fol. Buglosſ. Borrag. & Cichor. ana M. j.
Scolopend, M. ß.
Syr. viol. ℥. j. in aq. ℔. j. ß. f. ſ. a. Apoz. in tres doses distrib.
Immittantur quoque Clysteres manè & serò, quorum prior ex temperante decocto & Mellis Nymphati ℥. iij.

Die 14. in primâ Apozemat. dosi solutæ sunt Manna Calabrini ℥. ij. ß. cum Salis Veget. ʒ. j. Copiosas dejectiones adduxit. Verùm febris accessio horâ solitâ rediit. Quapropter in tribus Apozemat. dosibus, Cortic. Peruvian. contus. ℥. ß. decoquendam judicavi, non omissis Clysteribus. Similiter actum est diebus 15, & 16.

Die 17. febre perseverante, eâdemque similiter intermittente, Corticis ejusdem ʒ. iij. non decoctæ, sed in substantiâ & pulveratæ in præscriptis dosibus *Apozematosis* fuerunt exhibitæ, felici quidem exitu: febris etenim ex toto quievit die vigesimâ.

Die 22. vir convalescens ultimò purgatus est:

℞ Follic. Senn. & Rhei Elect. ana ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. ℥. j.
In aq. ℔. ß. f. s. a. haustus.

OBSERVATIO IV.

Die 16. Januarii 1727. citatim vocatus sum auxilio Dominæ *** conjugis Domini *** Ephippiorum Opificis, annos natæ 38. Plevritide laborantis atrocissimâ, proximè jam ad Peripneumoniam accedente. Quintus autem hic erat ab origine morbi dies. Continua febris ardebat; pulmones lacessebat frequentissima tussis, urgebant spiritûs angustiæ, lateris dolor acerrimus perseverabat, sputumque cruentatum emittebatur. Bis in brachio secta fuerat vena. Tunc autem præter memorata morbi symptomata, tumebat abdomen; alvus erat contracta, scintillabant oculi, vasa turgebant: pulsus erat quandoque intermittens, mens nonnunquam delira. Temperamentum verò bilioso-sanguineum, fervidum ingenium, quadratum corpus, insignem & præcipuam ex vini potione voluptatem capiebat ægra. Secta fuit in cubito vena ad educti sanguinis ℥. xij. potioque Cochleatim potitanda parata est ex Spermate Ceti, Ol. amygd. dulc. & Syr. de Althæâ. Ptisana verò ex foliis

Capillor. vener. floribus Tussilag. Hispidulæ sive Pedis-Cati, & Papaver. errat. in infuso. Clyster immissus est ex emolliente decocto & Mellis Nymphati ℥. iv. Tantillùm remisêre symptomata.

Die 7. noctem insomnem duxerat ægra, respiratio erat difficillima, lateris dolor atrocissimus, tumens venter, licet ab immisso Enemate sese exonerasset ubertim, capitis gravitas. Saphena illicò secta est ad detracti sanguinis ℔ j. ut scilicèt sanguinis motus ad superiora ruens temperaretur. Dolenti lateri admotus est sacculus ex avenâ in aceto forti decoctâ, hocque fortiter imbutâ. Sub vesperum alvus Enemate sequente fuit subducta :

℞ Decocti emollientis s. q.
Medull. Cass. mund. ℥. j.
Mellis de Mercuriali, ℥. iij. f. Enem.

Nec idcircò factæ sunt res ægrotantis meliores.

Die 8. præter memorata symptomata, tantis cruciabatur motibus pressoriis, ut de ejus salute desperandum crederetur. Itaque secta est in cubito vena, non ut deinceps à saphenæ sectione abstineremus, sed ut tutiùs & efficaciùs ad eam confugeremus. Si quidem in his affectibus alternè sanguinem è superioribus & inferioribus mittere recta jubet medendi methodus; ubi præsertim à respiratione læsâ sit delira mens. Lateri dolenti feles vivens exente-

rata fuit admota. Facillima post paucas horas facta est respiratio; mens autem sæpè delira.

Die 9. Quamquam magnum à respiratione & screatu solatium accederet; metum nihilominùs incutiebat nobis intercalarium delirium. Itaque ut rigidæ flecterentur fibræ, tuméns recel'eretur abdomen, animus solidaretur, missæ sunt è saphænâ ℥. sanguinis circiter xij. rationis facta est citò particeps, somnoque laudabili proximâ nocte recreata. Vespertinis horis Enema fuit injectum ex decocto furfuris & Nymphati Mellis ℥. iij. pro familiari potu parata est Emulsio sequens:

℞. Semin. iv. frigid. ℥. j.
Semin. Papaver. albi, ℨ. j. ß.
Amygd. dulc. Excortic. N°. vj.
Contund. in mortario marmor. sensim affund. seri lactis ℔. iij.
In Colat. dilue Syr. Capil. vener. ℥. ij.

Tranquilla nox fuit, alvus laxata est.

Die 10. manè Catharticum sequens exhausit ægra:

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij. in aq. ℔. ß. f. haustus.

Sufficienti quantitate sese venter exoneravit, soleque cadente misturam sequentem exhibuimus:

℞. Emulsionis supradictæ, ℥. vj.
Syr. Diacod. ℨ. vj. f. haustus.

Pejores factæ sunt res ægrotantis, quæ pernoctavit insomnis.

Die 11. manè, prioribus similes usurpatæ sunt Emulsiones pro potu, sed frustrà: nam corporis imò & animi perturbationibus fuit lacessita. Itaque saphenam denuò secandam decrevi, Chirurgumque monui ut sanguis ℥. ix. mitteret, nec ultrà. Hic autem sanguinis ℔. ij. & amplius duxit. Statim anima laborantem deficit, hæcque repuerascit. Horâ post meridiem quartâ pulsum percipio parvum, languidum, compressum; ægram autem amentem animi; situla profertur, vix ac vix quidem in situlæ fundum arundo mea descendit: cochleare perforatum, quo lebetes despumantur, posco: sanguinis coagula in scutellas & lances elutrio; Chirurgus tandem suâ confessione arguitur. Victum statim ampliorem concedo, julepumque sequentem horâ decimâ exhibendum præscribo, quo citiùs vires amico recrearentur somno:

℞. Aq. Lactuc. & Nymph. ana ℥. ij.
Syr. Diacod. ʒ. vj. f. jul.

Æstu summo febreque jactata est insomnis ægra.

Die 12. manè, perseverabat imbecillitas animi, temperatus erat cutis calor, febris levissima. Apozemata sequentia parata sunt, Emulsionibus non omissis; sed in Syrupi Capillor. veneris locum, similem

Syrupi violati quantitatem ſubſtitui :

℞. Fol. Bugloſſ Borrag. Cichor. & Pimpinell. ana M. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Sal. Glauber. ʒ. j. ß.
Syr. viol ℥. j. In aq. ℔. j. ß. f. ſ. a. Apoz. ad tres doſes.

Verùm vix ab ægrotante receſſi, & hujus ſponſum perterruit dictus Chirurgus privilegiario jure ſolo gaudens, dicenſque venæ ſectionem alteri cuilibet remedio præponendam eſſe, nonnulloſque in conſilium adhibendos eſſe doctores, qui ſuam indubitanter amplecterentur opinionem. Cohortantibus igitur amicis, accerſuntur Collegæ duo clariſſimi, ſimulque convenimus die 13. horâ poſt meridiem quintâ. Ab Apozematum uſu abſtinuimus; Emulſiones tantummodò ſumuntur; cætera in proximum diem differuntur; Enema immittitur ex fol. Lactucæ & Betæ decocto, additis Nymphati Mellis ℥. iij. fit pulſus ordinatus, alvus libera, placida nox : eadem nihilominùs perſeverabat mentis imbecillitas.

Die 13. horâ poſt meridiem quintâ convenimus : Collegis morbum & geſta narravi, non omiſſâ incredibili ſanguinis è ſaphenâ detractione, tantique facinoris teſtibus oculatis Pharmacopæo peritiſſimo plurimiſque parentibus adhibitis. Omnibus ergo narrandis narratis, conjudica-

vimus ad Apozemata proposita confugiendum esse; eaque altero quoque die simplicia vel purgantia. Verumtamen deliberantium unus, præter Emulsiones & Apozemata, nos hortatus est, ut horâ decimà serotinâ in Emulsion. ℥. xij. adderemus Syrup. Diacod ʒ. vj. Hunc. ego monui ut à Diacodio abstineret, eò quod in hoc affectu non respondisset optatis, imò & bis noxam non levem attulisset. Cum majori numero palmam retulit Diacodium: artuum jactationibus commota fuit ægrotans mulier; noctem insomnem duxit, duplicem experientiam tertia confirmavit.

Die 14. Apozematibus & Emulsione usa est ægra, exitu prosperrimo. Laxata est ubertim alvus; accessit cibi cupido. Sub vesperum sana mens rediit, somnus ægram noctu recreavit.

Die 15. similia successu simili sumpsit: similiter die 16. excepto Manna.

Die 17. laudatam mulierem ab omni infirmitate liberam videns, ei consilium dedi, ut nullum deinceps sibi sineret medicamen offerri; sed legitimæ potiùs & succosæ diætæ se traderet. Meam secuta est sententiam, acceptique beneficii se semper memorem præbuit.

OBSERVATIO V.

DIe 20. Aprilis 1729. egregius vir Dominus *** Menſarius, annos natus circiter 42. citatim accivit me. In Pleuritidem inciderat die menſis ejuſdem 18. premebant eum ſpiritûs anguſtiæ, frequens tuſſis & moleſta, lateris punctorius dolor, febris continua. Sanguis ſemel fuerat detractus ad ℥. xij. Nil autem ultrà tentatum. Temperamentum erat ſanguineum, corpus obeſiſſimum, mens hilaris & fervens. Illicò me jubente ducta eſt ℔. ſanguinis fermè una è brachio: ptiſana parata ex infuſo fol. Capillor. vener. flor. Tuſſilag. & Papaver. errat. Juſcula ex carnis bubulæ & vitulinæ ana p. æ. addito gallinaceo pullo. Sub veſperum tertiò ſecta eſt vena, miſſuſque è brachio ſanguis ad ℥. xij. (pulſus etenim profundus erat durus & intermittens. Cochleatim potitandam præſcripſi) *bechicam* potionem:

℞. Spermat. Ceti, ℥. j. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
Syr. de Althæâ, ℥. j. f. p.

Clyſter horâ nonâ fuit immiſſus, ex emolliente decocto & Nymphati Mellis ℥. ij.

Die 21. manè, in eodem ſtatu ſymptomata perſeverabant; præ cæteris autem

lateris dolor. Dolenti ergò parti ſacculus admotus eſt ex avenâ in aceto forti decoctâ. largè prorupit ſudor; lateralis dolor remiſit. Verùm præ nimiâ capitis gravitate, oculi erant penè occluſi; turgidæ faciei color purpureus. Itaque miſſus eſt ſanguis è ſaphenâ ad ℔. fermè unam; horâ ſcilicet poſt meridiem quartâ. Sacculus ex avenâ rursùm admotus eſt; ſimiliter erupit ſudor; minùs *jactabunda* nox fuit.

Die 22. Narravit æger minorem capitis ſe experiri gravitatem; reliqua pariter eſſe mitigata ſymptomata. Porrò ſicca tuſſis, vel nihil, vel cruentatum ſputum emoliebatur. Novem igitur olei Amygd. dulc. ℥. in tres doſes diſtributas tertiâ quâque horâ exhauſit, juſculis intermediis; poſtque ultimam doſim, horis duabus elapſis, immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto & Mellis Nymph. ℥. iv. Rarior fuit faciliorque tuſſis; ſputa copioſa & cruentata primò; ſub veſperum autem bilioſa prodiêre; alvus uberrimè ſoluta eſt.

Die 23. à linguæ & ſputorum colore, Excretorum indole, indicationem deſumens, ægrum purgavi:

℞. Mellis aërei, ℥. ij ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a hauſtus.

Declinante die, dejectionibus cumulum addidit Clyſter priori ſimillimus. Aſt febris equidem mitior, tuſſiculaque per-

ſeverabant. In uno quoque juſculo ſoluta ſunt ſpermatis Ceti g̃. xv. die noctuque.

Die 24. manè, infuſum eſt Enema ex Siliquæ Ægypt. contuſ ℥. iv in lactis ſerò decoctis; alterumque declinante die ex furfuris decocto & Mellis Nymphati ℥. iv. Spermate Ceti ſimiliter uſus eſt æger. Febris intermiſit, & à morbo convalere exiſtimabatur. Catharticam potionem die proximo ſumendam præſcripſeram; verùm,

Die 25. Febris rursùm exarſit, ſine ullo lateralis morbi ſymptomate. Horâ ſextâ matutinâ, inhorruit æger, paulòque poſt, æſtu jactatus eſt. Quo quidem audito, pulſuque fortiter feriente deprehenſo, ſanguinem illicò mittendum judicavi, calorique durenti ſic conſultum eſt:

℞. Pullum gallinaceum exenteratum.
Semin. iv. frigid. contuſ. ℥. j.
Bull. q. ſ. in aq. ad remanentiam ℔. iij. deturque pro potu ordinario.

Febrili paroxiſmo finem impoſuit, medio die, ſudor copioſus. Ad veſperum autem Clyſter injectus eſt, ſicuti die 22.

Die 26. Duplicis-tertianæ intermittentis Typum declaravit acceſſio, quæ frigore quodam præeunte laborantem invaſit horâ ſeſqui-ſeptimâ matutinâ. Criticus ſimiliter ſudor inducias attulit horâ poſt meridiem primâ. Tunc ergò paratum eſt febrifugum ſequens:

℞. Cortic. Peruvian. contuſ. ℥j.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. iij.
Colaturam affunde ſuper ſemin. iv. frigid. contuſ. ʒ. vj.
F. iterùm Colat. in ſex doſes diſtrib. & aſſiduè tertiâ quâque horâ ſumend. uſque dum ſigna febrem prænuntiantia redierint.
In primâ doſi ſummo mane ſumendâ ſolventur Mellis aërei, ℥. ij. ß.

Die 28. Catharticum ſequens exhibuimus:

℞. Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. vj.
Cortic. Peruvian. ʒ. ij.
Bull. q. ſ. in aq. ℔. j.
Adde Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In Colat. diſſol. Sal. Veget. ʒ. j. ß. f. p. ad duas doſes.

Interim repetitæ ſunt veſperè febrifugæ doſes *emulſivæ*. Leviſſimâ febris acceſſione tentatus eſt æger horâ poſt meridiem ſecundâ.

Die 29. & 30. Febrifugum ſimiliter uſurpatum eſt; Enemataque immiſſa ſunt ex emolliente decocto & Nymphato Melle. Nullam autem febris acceſſionem hiſce diebus paſſus eſt laudatus æger.

Die 1. Maii, purgatio ſequens fuit inſtituta:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Catholic. duplic. ℥. ß.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Porrò ſubſequentibus diebus, uſque ad ſextum menſis ejuſdem, Emulſio febrifuga fuit in uſu; ſolidamque ſanitatem recuperavit dictus Menſarius.

OBSERVATIO VI.

DIe 22. Auguſti, 1729. Vocatus ſum auxilio *** Calcarium Fabri, annos nati 37. in plevritidinem inciderat die Auguſti 20. ſemel è brachio ſanguinem miſerat Chirurgus. Dolore lateris punctorio & acerrimo æger erat cruciatus; æſtu febreque jactatus; frequentiſſimâ tuſſi concuſſus; difficultate ſpirandi quaſi præfocatus. Duro & undoſo motu pulſabat arteria: Temperamentum erat bilioſo-ſanguineum; moroſa mens; corpus gracile. Ductus eſt ſanguis è brachio, horâ ſcilicèt nonâ matutinâ; ſimiliter die medio, & horâ poſt meridiem ſextâ: Nec ſibi mentitus eſt detracti ſanguinis glutinoſi color *inflammatorius*. Potionem Cochleatim potitandam ſcripto deſignavi:

℞. Spermat. Ceti, ʒ. j. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. v.
Syr. de Althæâ, ℥. j. ß. f. p. ſingulis ternis horis exhib.

Lateri dolenti admotus eſt ſacculus ex avenâ aceto forti imbutâ. Potus inſtitutus ex infuſione fol. Capillor. Vener. addito

Colaturæ Melle Narbonensi. Juscula vero parata sunt ex vitulinâ carne & gallinaceo pullo.

Die 23. sputum emissum est cruentatum; respiratione faciliore factâ, febrili autem ardore similiter vigente. Sanguis iterùm è brachio ductus est. Novem Olei amygd. dulc. uncias in tres doses distributas tertiâ quâque horâ sumpsit æger. Alvum ubertim exoneravit, lateris dolor remisit.

Die 24. Febris horâ quintâ matutinâ immaniter exarsit; delirio vexatus est æger, clamores præ nimio lateris dolore tollens. Aperta est illicò saphena. Feles vivens eventerata dolenti lateri admota est: probè contectus æger largè sudavit; sputum non modò cruentatum, sed cruentum edidit. Spermat. Ceti g̃. xx. in alternis jusculis soluta sunt, Vesperascente die, anima cum corpore luctari videbatur; saphena secta est illicò: paratum quoque apozema sequens tertiâ quâque horâ propinandum, jusculis intermediis:

♃. Fol. Bugloss. Borrag. & Lactucæ; ana M. j.
Capillor. vener. Hederæ terrest. & flor. Tussilag. ana p. ij.
Bull. q. s. in aq. ℔. ij.
In Colat. dilue Syr. Corall. ℥. j. ß. f. Apoz. in quatuor doses distrib.

Die 25. manè, mitigata cognovi symp-

tomata; flavum ſputum pauco cruore permixtum emittebat æger; facilis erat tuſſis; reſpiratio minùs anguſta. Deſcripti Apozematis uſu continuando abſtinuimus, donec votis reſpondiſſet potio ſequens:

℞. Kermet. miner. g̃. iv.
Ol. amygd. dulc. ℥. iv.
F. p. alternis horis Cochleatim exhibenda, juſculis intermediis.

Alvum copiosè ſubduxit; largum ſudorem elicuit; ſputa laudabilia protulit potio: ſtupeſcentibus adſtantibus; ſpes quidem modica, ſed ſpes ſalutis radiavit. Veſperaſcente die Clyſter injectus eſt ex Siliq. Ægypt. contuſ. ℥. iv. ut humores à Carthartico dimoti deturbarentur. *Apozematoſas* doſes ſuprà deſcriptas æger reſumpſit.

Die 26. Quanquam febris remitteret, abdomen nihilominùs adhuc intumebat, à præparatis ſcilicèt ac fermenteſcentibus humoribus. Solutæ ſunt ergò Manna ℥. ij. in juſculo: alternæ autem apozematum doſi additum eſt Kermet. Mineral. g̃. j. ſimiliter actum eſt uſquè ad tertiam doſim.

Conſanguineorum omnium expectationem vicit noſtra curandi methodus; febris etenim ſub veſperum intermiſit: ægrum nocte proximâ recreavit Julepus:

℞. Aq. Lactuc. & Papaver. errat. ana ℥. j. ß.
Syr. de Karabe, ℥. iij. f. jul.

Ad horam quintam dormiit æger.

Die 27. Febriculâ tentatus eſt. Immiſſum fuit Enema ex emolliente decocto, & Mellis Nymphati ℥. iij. Alterum declinante die ex decocto ſimili, omiſſo melle. In unoquoque juſculo ſoluta ſunt Spermatis Ceti gr. x. nil novi factum eſt ad diem uſquè trigeſimum Auguſti quo vi formulæ ſequentis alvum ſubduximus. Tunc autem nulla morbi labes deprehendebatur.

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Diſſol. in ſeri lactis ℔. ß.
In Colat. dilue Medull. Caſſ. recens mund. ℥. j. f. hauſtus.

Poſthac, manè experrectus, & horâ ſomni, lac vaccinum deſpumatum, & infuſione Capillorum veneris permixtum, diebus octo continuis exhibuimus: diequе Septembris ſexto purgatus eſt vir firmatâ ſanitate gaudens:

℞. Follic. Senn. & Rhei, ana ʒ. j.
Mellis aërii, ℥. ij. ß.
Sal. de Abſynth. ʒ. j. in ſ. q. aq. f. ℒ. a. hauſtus.





SECTIO XX.

DE VARIOLIS ET PURPUREIS Maculis.

OBSERVATIO I.

DIe 1. Junii, 1725. meam afflagitavit opem Domina *** annos nata 24. febre malignâ laborans. Dolebat caput; ſcintillabant oculi; lingua nigricans erat & aſpera; diarrhæa moleſtabat alvum. Præviſis ergò *exantematis* per cutis poros mox erupturis; vaſiſque aliundè non turgentibus; ab omni venæ ſectione abſtinendum judicavi, tutamque per Cardiaco-diaphoretica viam ſum ingreſſus: quapropter potio ſequens inſtituta eſt:

♃. Aquar. Card. bened. Meliſſæ & Scorzoner ana. ℥. j. ß.
Confect. de Hyacynth ʒ. j. ß.
Sang. Ibicini, ℈. j.
Syr. de Tunicâ, ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Pro potu ordinario, decoctum radic. gramin. & ſcorzoneræ. Largus per univerſum corpus prorupit ſudor; remanentibus memoratis ſymptomatis.

Die 2. manè, attentis oculis intactam ægrotantis faciem vidi; dorſum autem lividis aliquot maculis defœdatum agnovi.

Agenti naturæ tempus requisitum datum est: Consultor fui, non actor.

Die 3. paululùm attolli cœperunt maculæ quædam intersparsæ; lividis remanentibus maculis pridiè eruptis. Repetita est potio die primâ descriptâ; hausta verò fuit exitu pari.

Die 4. in tubercula dictæ jam abierant maculæ, imminutâ febre; alvo adstrictâ; cæteris similiter se gerentibus. Catameniorum tempus solitum instabat. Nil novi tentatum est.

Die 6. manè, floruit uterus, porrò in suppurationem dicta tubercula deveniebant, sed imperfectè: vinum Ptisanæ addendum præscripsi.

Die 8. difficilè adhuc maturescentibus tuberculis, parata est potio sequens:

℞. Aq. Card. bened. ℥. iij.
Sang. Ibicini, ʒ. ß. misce pro dosi.

Die 9. Meliora facta sunt omnia: Rebus ergò prosperè se habentibus, quievi usque ad diem 12. quâ quidem absoluto penitùs uterino fluxu, discussis maculis lividis; exsiccatis fermè tuberculis; paratum est quod sequitur Catharticum:

℞. Rhei & Agarici, ana ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Crystall. miner. ʒ. j. in s. q. aq. f. s. a. haustus.

Liberaliter soluta est alvus. Diebus sequentibus immissum est quotidiè Enema;

Die 17. Ultimò purgata eſt ægra:
℞. Caſſ. cum Siliq. ℥. iv.
Tamarindor. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. ij. ß.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Hoc autem notandum venit, quòd toto morbi curſu, diæta non fuerit parcior; ſed jurulentum panem ægra manè manducaverit; medio die ovum ſorbuerit; inclinante ſole, offam panis toſtam aquâ & ſaccharo aſperſam devoraverit; non neglectis tamen juſculis.

Huic porrò poſtulanti & exhauſtæ, non ſolitæ ſemper conſuetudini conſuluimus.

OBSERVATIO II.

DIe Junii 28. an. 1726. curavi filium cujuſdam Mercimoniorum Minutorum Mercatoris, annos ſex natum, variolis correptum. Hæ porrò confluentes erant; multis hinc indèque purpureis maculis interſparſis. In ſuppurationem abibant tubercula; febris ardebat; nec tamen tumebat abdomen, nec quoque alvus erat liquida. Parata eſt potio ſequens:

℞. Aq. Card. bened. Meliſſ. & Scorzon. ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. & Alkerm. ana ʒ. ß.
Syr. de Tunicâ, ℥. j. f. p. Cochlea-

tim secundâ quâque horâ sumend.

Interim manè unam & alteram panis offam in jusculo voravit infans; ovum recens sorbuit medio die.

Die 29. Similiter vigebat febris (nec mirum tempore suppurationis.) Ut autem strangulatui ab internâ suppuratione metuendo consuleretur; offam panis tostam aquâ, vino & saccharo aspersam parari, frustratimque de die exhiberi jussi; non neglectâ diætâ suprà institutâ. Potio similis Cardiaca parata est.

Die 30. Cardiacæ potionis loco, præscripsi vinum Burgundum electum, cum saccharo, nuce Moschatâ & Cinnamomo, cochleatim in Ptisanæ tertio quoque Cyatho diluendum. Diætam de cætero ut suprà. Nil novi tentatum est ad diem usque Julii octavam quâ quidem exsiccatis tuberculis, fuit instituta purgatio:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Ol. amygd. dulc. ℥. j. in s. q. aq. pro dosi.

Laudabiliter dejecit infans, febrisque quievit.

Die 13. ultimò purgatus est:

℞. Mellis aërei, ℥. ij.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j. in s. q. aq. f. haustus.



OBSERVATIO III.

Die 20. Augusti, 1726. filia Domini *** annos nata 22. acerrimâ febre cruciata, meum efflagitavit auxilium, delirio per intervalla tentabatur; spiritûs angustiis premebatur, totum deflagrabat corpus, malignum denique morbum symptomata prænuntiabant. Pulsus erat durus, frequens, profundus; lingua nigricans & aspera, scintillantes oculi. Morbi dies hic erat tertius. Semel in cubito secta fuerat vena, expectabantur autem Menstrua. Memoratis ergò symptomatis consulens ego, sanguinis ℔. j. è saphenâ mittendam judicavi; deindèque sequentem exhibendam esse potionem:

℞. Aquar. Meliss. Card. bened. & Scorzoner. ana ℥. ij.
Confect. de Hyacinth. & Alkerm. ana ʒ. j.
Aq. Theriacal. ʒ. ij.
Syr. de Tunicâ ℥. j. ß. f. p. ad duas doses.

Die 21. summo diluculo, maculæ quamplurimæ tùm in facie, tùm præcipuè suprà pectus Interspársæ, deindè verò vespertinis horis papulæ rubescentes erupêre. Remisit febris, sana mens rediit. Naturæ igitur prudenter laboranti simplicis-

ſimum datum eſt auxilium. Ptiſana pro potu parata eſt ex decocto radic. gramin. & Scorzoneræ.

Die 22. placidiſſimo motu variolæ prodibant. Nil novi tentatum eſt, alvus erat adſtricta.

Die 23. ut naturæ tardè procedenti obſecundarem, paratum eſt vinum cum ſaccharo, Cinnamomo & Moſchatâ nuce, cochleatim mox ſolum, mox in Ptiſanæ Cyatho diluendum, & exhibendum; prout citiùs vel lentiùs tubercula in ſuppurationem abirent. Unum hoc factum eſt remedium ad diem uſque 27. quâ quidem tutò fuit inſtituta purgatio.

℞. Mellis aërei, ℥. ij. ß.
Syr. de Cichor. comp. ℥. j.
In aq. ℥. vj. f. ſ. a. hauſtus.

Die tandem ultimâ Auguſti, purgata eſt convaleſcens vi formulæ ſequentis:

℞. Follic. Senn. & Rhei, ana ʒ. j.
Tamarind. ℥. j.
Mellis aërei, ℥. j. ß.
Sal. Veget. ʒ. ij. in. aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Ampliorem de variolis ſermonem habere ſuperfluum duxerim. Hoc unum notatu dignum occurrit, venæ-ſectionem ſæpiùs omiſſam fuiſſe antè variolarum eruptionem; exitu proſperrimo, plurimos autem, quibus ter quaterve ſecta fuerat

vena

vena vel in pede, vel in brachio antè 14. diem, vel etiam in ipſo præſertim decimo periiſſe. Porrò noſtram ægrotantes ſæpè non inclamant opem niſi repetitis venæ ſectionibus, varioliſque eruptis, ubi periculum imminet.

Neque tamen inutile erit, ex innumeris, nonnullos appellare ſanatos, tanquam propoſitæ praxeos noſtræ exempla. Teſtes itaque ſint :

Filii nobiliſſimi Domini DE LATTAIGNANT, in ſupremâ Pariſienſi Curiâ Senatoris.

Domina DU MAS DE CORBEUILLE, in Monaſterio (vulgò *les Trenels.*)

Domina JOSSE mater, annos nata 42. & filiæ, quarum una annos nata 17. altera verò 15. variolis confluentibus correptæ. In vico (gallicè *rue ſainte Avoye.*)

Nobiliſſima Domina MERAULT, filia Illuſtriſſimi Domini MERAULT, Regi à ſanctioribus Conſiliis, & in majori Conſilio procuratoris Catholici, annos nata 11. variolis purpureiſque maculis correpta.

Filius nobiliſſimi Domini D'OMBREVAL, Equitis.

Filius nobiliſſimi Domini Comitis DE BARRE, annos natus 16. variolis confluentibus correptus.

Filia Domini DU PONTY, in Conſiliis Regis patroni.

Filius Domini LE MASLE, Regi à ſe-

cretis, variolis confluentibus correptus.

Filia Domini DE CLORCY, Regiorum Dominiorum Ærarii Tribuni, annos nata 7. variolis confluentibus correpta.

Filius nobilis Domini COUSINET, Rationum Magiſtri, annos natus 12. variolis purpureiſque maculis, bis intrà duos menſes correptus.

Dominus LE NOIR, variolis confluentibus correptus, in Collegio Sorbonæ-Pleſſæo.

Nobilis vir Dominus DE VOUGNY, libellorum ſupplicum Magiſter, annos natus 30. variolis confluentibus correptus.

Nobilis filia Domini DE FRIBOIS, annos nata 11. variolis quoque confluentibus correpta.

Nobiliſſima Domina DE NOGENT, filia Illuſtriſſimi Domini Comitis DE NOGENT, morbiilis gemmaſcentibus correpta annos nata 15.

Nobiliſſima conjux nobiliſſimi Domini FEYDEAU DES ANNEAUX, morbillis etiam gemmaſcentibus correpta, annos nata 30.

Filia nobilis Domini PROVINS, Regi à ſecretis, annos nata 15. variolis correpta.

Nobiliſſima Domina D. Marchioniſſa DE L'AUB'ESPINE, annos nata 47. variolis confluentibus correpta.

Et hujus nobiliſſimæ Marchioniſſæ filii, Dominus ſcilicèt Comes DE L'AUB'ESPINE, & Dominus Marchio D'AUTRIVE.

Nobilis Dominus DANES, nepos Illustrissimi Domini DANES, in supremâ Parisiensi Curiâ Senatoris, variolis confluentibus correptus. In Sorbonæ-Plessæo.

Nobilis Dominus GIRARD, nepos Domini ANISSON, in eodem Collegio.

Nobiles filiæ Domini DE BARMONT, in vico (gallicè *vieille rue du Temple.*)

Filia Domini LE CHANTEUR, Regis Consiliarii, & in Castelleto Parisiensi Tabellionis, annos nata 14. variolis confluentibus correpta.

Nobilis filius Domini BOULAS DE QUINCY, annos natus circiter 15. variolis confluentibus, Diarrhæâ, Hemorrhagiâ & delirio stipatis correptus.


Nobilis conjux Domini ROBERGE DE BOIS-MOREL, annuorum Cleri vectigalium Quæstoris, annos nata 22. variolis confluentibus correpta.

Nobilis vir Dominus ALARD, Patronus, annos natus 35. in vico (galicè *rue des Menetriers.*)

Quod autem medicam praxim adhuc spectat; id addere licet, Theriacam nempè sæpè & sapienter adhibitam summoperè prodesse; præsertim ubi vires deficere videntur, vel delirium imminet.

Circa refrigerantium usum, non à nobis vituperanda veniunt temperantia, nec venæ sectionem prudenter quovis morbi tempore repetitam culpamus. Ex observa-

tione namque tertiâ, post unam è brachio venæ sectionem celebratam, morbi videlicèt die tertiâ, nos à saphænæ sectionem confugisse colligitur.



SECTIO ULTIMA.

DE VOMITU.

OBSERVATIO I.

DIe 25. Augusti, 1725. meam efflagitavit opem nobilis Domina *** annos nata circiter 52. Jam abhinc octo diebus vomitu continuo cruciata, ita ut cibum levissimum retinere ventriculus non posset; febris autem ardebat. Quoniam verò à medicamentis abhorrebat ægra; ad hunc usque diem procrastinaverat.

Temperamentum gerebat sanguineum, gracile corpus, mentem morosam. Secta est illicò vena in brachio, ductusque sang. ad ℔. j, parata est deindè potio sequens:

℞. Aq. Meliss. Card. bened. & Cichor. ana ℥. j. ß.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j. ß.
Aq. Theriacal. ʒ. ij.
Syr. Diacod. ℥. j. f. p. ad tres doses vesperè hauriendas, modicis jusculis intermediis.

Sedatus est vomitus, semelque rejectus est potus. Somnus autem ægrotantem tribus horis recreavit.

Die 26. manè immiſſum eſt Enema ex emolliente decocto & Mellis Nymph. ℥. iij. deindè parata eſt potio ſequens :

℞. Aquar. Bugloſſ. Borrag. & Cichor. ana ℥. j.
Confect. de Hyacinth. & Theriacæ veteris, ana ʒ. j.
Syr. de Abſynth. ℥. j. f. p. Cochleatim horis alternis exhib.

Sub veſperum, immiſſus eſt Clyſter ex aquâ ſolâ. Potus fuit ex decocto radicum graminis & orizæ.

Die 27. ceſſavit vomitus, ſed à frequentibus ventriculi Concuſſibus, cùm inflammatum tumeret abdomen, huic admotæ ſunt emollientes herbæ in aquâ primò decoctæ, lacteque poſteà imbutæ. Injecti ſunt quoque Clyſteres ex eodem decocto, manè & veſperè. Repetiti ſunt fotus ter in die. Somnus autem noctu fuit horar. circiter quinque.

Die 28. venter detumuerat, tactu verò lienem deprehendi durum & turgentem; hicque per intervalla vehementer eam torquebat : exhibita ſunt apozemata ſequentia :

℞. Fol. Cichor. Ceræfol. & Naſturt. aquat. ana ſ. q. ut ex illis contuſ. & expreſſis educatur ſuccus ad ℥. xij.
Adde Mellis aërei, ℥. ij.
In Colat. dilue Syr. de v. radic. ℥. j.

F. Apoz. laxans ad duas doſes horis tribus interpoſitis exhibendas, juſculo intermedio.

Liberaliter ducta eſt alvus, inſigniterque allevata eſt ægra.

Diebus 29. 30. ſimiliter actum eſt, exitu pari.

Die 1. Septembris, ut viſcerum infarctus tolleretur, abſenſque appetentia revocaretur, ſequentem opiatam præſcripſi:

℞. Rhei Electi, ℥. ß.
Mechoacann. ʒ. j. ß.
Oculor. cancr. Corall. rub. & Margarit. ppt. ana ʒ. j.
Tabellar. Diacarthami, ʒ. iij.
Cum Medull. Caſſ. mund. & Extracti Juniper. ana p. æq. & ſ. q. f. Op. ad pondus ʒ. j. quotidiè manè voranda.

Laudabili quantitate dejecit ægra quotidiè, poſtque dies quindecim totus evanuit tumor; revocata eſt ciborum appetentia; hoſque perfectè concoxit ventrîculus. Cùm autem villam petere vellet convaleſcens Domina, hoc ei ſcriptum dedi conſilium, ut ſcilicèt quotidiè duabus horis antè prandium, voraret opiatæ ſequentis ℈. ij.

℞. Conſervæ flor. Anthoſ. ℥. j.
Conſervæ fol. Abſynth. ℥. ß.
Cortic. Citri condit. ʒ. iij.
Confect. Alkerm. ʒ. ij.

Diascord. ʒ. iij.
Radic. Imperat. ℥. ß.
Cum ſ. q. Syr. de v. Radicibus, f. Op. ſ. a.

Bis autem in hebdomadâ vorabit Opiatam ſequentem ad pondus ʒ. j. ß.

℞. Rei Electi, ℥. ß.
Semin. Carthami, ℥. j ß.
Semin. Aniſi, ʒ. iij.
Elect. Diaphœnic. ʒ. vj.
Oculor. Cancror. & coral. rub. ana ʒ. j. ß.
Cum ſ. q. Syr. de Cichor. ſimpl. f. Op. ſ. a.

Pro familiari potu, fiat ſequens decoctum:

℞. Radic Fœnic. N°. j.
Radic. Gramin. M. ß.
Radic. Chinææ, ℥. ij.
Bull. in aq. ℔. v. ad remanent. ℔. iv.

Præſcriptis omnibus fideliter paruit, & ad firmam ſanitatem brevi pervenit.

OBSERVATIO II.

Die 1. Octobris ejuſdem anni, dilectiſſima conjux Domini *** annos nata 28. vomitu enormi laceſſita me accerſivit, morbi die videlicèt tertiâ, quâ quidem frequentibus deſidendi conatibus fuit cruciata. Corpus erat maximè macilen-

tum, temperamentum bilioso-sanguineum. Varia autem purgantia temerè & infaustè adhibuerat Circulator quidam. Illicò Clyster immissus est ex decocto folior. verbasci, & semin. lini: parata est quoque potio sequens.

℞. Aquar. Meliss. Plantag. & Borrag. ana ℥. j. ß.
Confect. de Hyacinth. ʒ. j. ß.
Aq. Theriacal. ʒ. iij.
Syr. de Tunicâ, ℥. j. f. p. Cochleatim exhib.

Sub vesperum, juscula retinuit ventriculus, nec quidquam ejecit supernè. Enema priori simile immissum est. Noctu, cessato licèt vomitu, perseverabat Diarrhæa, benignior tamen facta.

Die 6. injecti sunt Clysteres emollientes, horâque nonâ serotinâ, paratus est Julepus:

℞. Aq. Lactucæ, ℥. iij.
Syr. Diacord. ʒ. vj. f. julep. uno haustu sumendus.

Somnus per triduum desideratus, ægram tandem Hor. viij recreavit.

Die 7. manè ut timenda à diuturno vomitu inflammatio præoccuparetur, secta est in brachio vena, ductusque sanguis ad ℥. xij. vesperè immissum est Enema ex decocto priori simillimo, additis violati Mellis ℥. iij.

Die 8. manè, data est levis Cathartica potio:

℞. Manna Calabrini, ℥. ij. ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. ij.
In aq. ℔. ß. f. ſ. a. hauſtus.

Die 11. ultima fuit inſtituta purgatio:

℞. Rei Electi, ʒ. j.
Mellis aërei, ℥. ij.
Medull. Caſſ. Mund. ℥. j.
Sal. Abſynth. ʒ. ß. in ſ. q. aq. f. ſ. a. hauſtus.

Die 12. Quanquam amiſſam ſanitatem recuperaſſet, optimèque ſe valere perciperet, eam tamen monui, ut diebus decem continuis, aſſiduè voraret bolum ſequentem:

℞. Rei pulver. g̃. xv.
Cum ſ. q. Extracti Juniper. f. bol.

OBSERVATIO III.

Die ſextâ Junii, 1726. meam imploravit opem, uxor Domini *** Rhedarum opificis, annos nata. 41. Temperamentum erat pituitoſum, frigidamque multis ab annis intemperiem gerens; mens moroſa, gracile corpus. Quatuor jam anni erant elapſi, ex quibus eam nauſeabundi conatus quotidiè, tùm jejuno ventriculo, tùm præcipuè cibis referto tentabant, ita ut ſæpiſſimè vomitu laceſſita eos rejicere cogeretur. Cùm igitur ex alimentis corpus ſibi facere non poſſet, in dies tabeſcebat.

Doloribus in ventriculo, in ſpinâ dorſi, ſcapulis interd`m cruciabatur, per ſinguloſque dies, horâ ſextâ veſpertinâ, circumcircà, unum & alterum viſcidæ pituitæ Coclhear, poſt multos conatus, evomebat. Plurimos initio tùm Medicos, tùm Chirurgos de morbo conſuluerat: variorum vario judicio, venæ-ſectiones innumeræ, mox in pede fuerant celebratæ, purgationes frequentiſſimæ, modò ex Catharticis ſimplicibus, modò ex his, addito ſale ſtibio, fuerant inſtitutæ; omnia verò ægrotantis damno. Præter etenim memorata ſymptomata, febris lenta continua Hecticam æmulans, artus ægræ depaſcens, ſpe etiam leviſſimâ me deturbabat. Mecum tamen affectum ipſum, hujus cauſas, principium, progreſſum, adhibitas quinimò Medicationes animo perpendens, ab erroribus præſertim in curâ commiſſis edoctus, contrarium iter intrepidus tentavi. Potionem ſequentem Cochleatim alterâ quâque horâ potitandam præſcripſi:

℞. Aq. Bugloſſ. Borrag. & Meliſſæ, ana ℥. ij.
Confect. Alkerm. & de Hyacinth. ana ʒ. j.
Theriacæ veteris, ʒ. j. ß.
Syr. de Abſynth. ℥. j. ß. f. p.

Interim infundatur Enema ex emolliente decocto, & Mellis Mercurial. ℥. iij. ſimiliter actum eſt die. 7.

Die 8. cibos retinuit vintriculus, nec ulla deinceps facta est vomitu eorum Expulsio; teneram quotidiè tenuerunt alvum Enemata modò simplicia, modò composita.

Die 10. potioni in integrum assumptæ sequens subrogatus est bolus:

℞. Theriacæ veteris & Extracti Juniper ana ℈. j. f. bolus quotidiè vorandus, donec prohibeatur.

Alimenta rectiùs in dies ventriculus concoxit, cæteris quoque Mitioribus factis symptomatis.

Die 16. partibus pro voto roboratis, confortantia simul & purgantia maritavi, secundùm formulam sequentem:

℞. Rhei Electi, g̃. xx.
Jalap. & Mechoacan. ana g̃. x.
Cum s. q. Extract. Juniper. f. bol. quotidiè vorandus, donec prohibeatur.

Dejectiones optatâ quantitate procreavit, nec ab eo abstinuit, nisi die 26. quâ quidem laudabiliter fuit menstruata.

Die Julii primâ, cessatis Catameniis, ad priorem bolum roborantem denuò per sex dies confugit; quibus elapsis, per totidem dies exhibitus est posterior, manè pariter: attamen post prandium & cœnam, in vini Burgundi cochleari sequentem pulverem sumpsit:

℞. Coriand. ppt. ʒ. ß.

Anis. recent. ʒ. ij.

Coral. rubr. ppt. Semin. Citri, Santali Citrini Macis & Nucis Moschatæ, ana ʒ. j.

Caryophillor. ℈. ij.

Semin. Anethi, ℈. j

Sacchari cand. ℥. xij.

Contund. omnia in mortar. & in tenuissimum pulverem redigantur, utatur ægra ad pondus ʒ. j.

Licèt omnia meliùs quotidie se haberent, unum tamen & alterum Illuviei viscidæ Cochlear, cum levissimis Conaminibus per os ejiciebat.

Die 18. purgationem institui sequentem:

℞. Follic. Senn. & Rhei Electi, ana ʒ. j.

Tamarindor. ℥. j.

Mellis aërei, ℥. ij.

Sal. Epsomiens. ʒ. ij. in aq. ℔. ß. f. s. a. haustus, cum aq. Naphæ s. q. ad gratum odorem.

Uberrimam illuviem dejecit ægra.

Die vigesimâ, ut humores impacti solverentur, ventriculi fibræ roborarentur, elaterque firmaretur; hoc ægrotanti consilium dedi, ut antiquas quotidiè potaret Passyacas aquas: primâ scilicèt die ad ℔. ij. dosim quotidiè adaugendo, donec ad ℔. vj. pervenerit. Paruit præcepto, exitu quidem prosperrimo.

Die Julii ultimâ, catameniis erumpen-

tibus, vomitu bis in die vexata eſt; ſimiliter die proximâ: florente autem utero, abſtinuit ab aquis.

Die Auguſti 8. reſumpſit aquas; die autem 9. in harum Cyatho priore ſolutæ ſunt Manna ℥. ij ß. ſuperaddendo ordinariam aquarum doſim; nempe ℔. vj. alvus indè pro votis ſubducta eſt, firmamque ſanitatem recepit laudata mulier.

FINIS.

Ex Typis GISSEY.

APPROBATIO
Facultatis ſaluberrimæ Pariſienſis.

NOs infrà ſcripti Cenſores à Facultate delegati, teſtamur editionem alteram Obſervationum Medico-practicarum, quam M. LUDOVICUS-JOANNES LE THIEULLIER, Collega noſter, parat, ab Auctore recognitam ac correctam, attento animo à nobis perlectam fuiſſe, nobiſque dignam videri quæ typis mandetur, utpote diligenter emendatam. Datum Lutetiæ-Pariſiorum, die 28. menſis Junii 1745.

H. T. BARON, Antiquus Facultatis Decanus, ASTRUC, Lector & Profeſſor Regius, è ſalubri Regis Conſilio, &c. CASAMAJOR, Regius Librorum Cenſor, DE JEAN, FERRET, Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeſſor, BARON, Filius.

Auditâ relatione Clariſſimorum Cenſorum ſuprà ſcriptorum, per me, Saluberrimæ Facultatis nomine, licet typis mandetur, in Scholis ſuperioribus, die primâ menſis Julii an. 1745.

G. J. DE L'EPINE, Fac. Med. Pariſ. Decanus.

APPROBATIO Cenſoris Regii.

ILluſtriſſimi Cancellarii juſſu, Librum cui titulus eſt, LUDOVICI-JOANNIS LE THIEULLIER, *Medici, Obſervationes Medico-Practicæ*, accuratè perlegi, eumque digniſſimum cenſui qui Typis de novo mandetur. Datum Pariſiis, die decimâ Auguſti 1745. CASAMAJOR.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre, à nos Amez & Féaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours

de Parlement, Maître des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra; SALUT. Notre bien-amé LAURENT DURAND, Libraire à Paris, Nous a fait exposer qu'il désireroit faire réimprimer & donner au Public un Livre qui a pour titre, *M. Ludovici Joannis le Thieullier, Facultatis saluberrimæ Doctoris-Regentis Observationes Medico-Practicæ.* S'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Permission pour ce nécessaires; A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire réimprimer le Livre en un ou plusieurs Volumes, & autant de fois que bon lui semblera, & de les vendre, faire vendre, & débiter par tout notre Royaume pendant le temps de trois années consécutives, à compter du jour de la date des Présentes. Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance; A la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la da ted'icelles, que la réimpression dudit Ouvrage sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & beaux caractéres, conformément à la feuille imprimée attachée pour modéle sous le contrescel des Présentes, que l'Impétrant se conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du dixiéme Avril mil sept cent vingtcinq; qu'avant de l'exposer en vente, l'imprimé qui aura servi de copie à la réimpression dudit Livre sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès

mains de notre très-cher & féal Chevalier le ſieur D'AGUESSEAU, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le ſieur Dagueſſeau, Chancelier de France : Le tout à peine de nullité des Préſentes ; du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant, & ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement ; Voulons qu'à la copie des Préſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, foi ſoit ajoutée comme à l'original ; Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires : CAR tel eſt notre plaiſir. Donné à Paris le vingt-ſeptiéme jour du mois d'Août, l'an de grace mil ſept cent quarante-cinq, & de notre Régne le trentiéme. Par le Roi en ſon Conſeil.

SAINSON.

Regiſtré enſemble la Ceſſion ſur le Regiſtre onze de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris N°. 495. fol. 431. conformément aux anciens Réglemens confirmés par celui du 28. Février 1723. à Paris le 8. Octobre 1745.

VINCENT, *Syndic.*

J'ai cédé à Meſſieurs Huart & Clouſier chacun un tiers dans ladite permiſſion, ſuivant nos conventions. A Paris le 5. Octobre 1745.

DURAND.

